AD
DECRETALEM,
AD AUDIENTIAM.
DE CLERICIS NON reſidentibus,
HONORII III. SUMMI PONT.
Ex lib. III. Decret. Gregorii IX,

CONSULTATIO
MARCELLI ANCYRANI THEOLOGI,
Canonicorum ſaluti optimè conſultum cupientis,

DE CANONICIS IN SERVITIO ceû comitatu epiſcoporum commorantibus, & in ſedibus eccleſiarum ſuarum non reſidentibus.

PARISIIS,
Apud JOANNEM COUTEROT,
viâ Jacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XCV.
Cum Approbatione, & Privilegio Regis.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAP. I. INSTITUTI *operis ratio. Status quæſtionis proponitur.* pag. 1

II. *Quid ſit intelligendum ex capite*, Ad audientiam, *quod eſt* XV. *lib.* III. *Decretalium* Gregorii *IX. ex quo canonici in ſervitio & comitatu epiſcoporum jus ſibi vindicant non reſidentiæ, ſeû abſentiæ à ſedibus ſuarum eccleſiarum.* 12

III. *Quid ſignificent hæc verba capitis* Ad audientiam. In tuo ſervitio exiſtentes. *Ex quibus aſſumitur privilegium percipiendorum fructuum à canonicis, in quibus non reſidentiæ culpa reſidet.* 19

IV. *Quid ſignificent hæc verba*, In comitatu epiſcopi, *quibus fulcitur jus percipiendi fructus, à canonicis non reſidentibus.* 28

V. *Senatuſconſulta in gratiam canonicorum, nomine comitatûs aut ſervitii epiſcopalis non reſidentium producta, ſunt*

Digitized by Google

iis adverſa & non conducibilia ; non ſecùs ac decreta congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum. 37

VI. *Facultas theologica Pariſienſis, & Societas Sorbonica, derogant privilegio non reſidendi extra diœceſim, & percipiendi fructûs beneficiorum.* 46

VII. *Exempla virorum illuſtrium confirmant, vanum & ſupervacaneum eſſe privilegium comitatûs nomine, canonicis abſentibus adſcriptum.* 50

YIII. *Concilii Tridentini patres exiſtimaverunt penès epiſcopos non exiſtere jus diſpenſandi cum canonicis à reſidentiâ.* 57

IX. *Argumentum aſſumitur ex officiis dignitatum capitularium, quo probatur non poſſe præſentes reputari & percipere fructûs præbendarum ſuarum, etiamſi in ſervitio & comitatu epiſcoporum commorentur extra diœceſim propriam.* 65.

X. *Concluſio.* 71

Digitized by Google

DISQUISITIO THEOLOGICA.

DE TACTIBVS IMPVDICIS.

An ſint peccata mortalia, vel venialia.

SUNT in doctrinâ morum, non ſecùs ac in omnibus aliis diſciplinis, ſumptiones, quas Tullius λήμματα vocat, extra omnem dubitandi aleam adeò poſita, ut nullâ ratione infirmari poſſint. Ea verò ſunt in quæſtionibus *Lib. 2. de divinatione.*

Digitized by Google

benè ac prudenter diſcutiendis adeò conducibilia, ut apertis oculis veritatem ſemper aſſequi facile ſit. Quippè cùm ſimilitudinem maximam habere videantur cum umbilicaribus, ceû mediis fornicum lapidibus, qui totam ædificii maſſam fulciunt, & ab ejus partibus vicíſsìm ſuſtentantur. Ea igitur lemmata in hujuſce diſputationis exordio confeſtim collocentur neceſſe eſt.

1. Subjicio peccatum mortale poſt baptiſma commiſſum, eſſe actum vel omiſſum liberum, quo jus, Dei omnipotentis mandato præſcriptum, violatur, inſuper lumine legis naturalis cognitum, aut cogitabile vi legum poſitivarum, quibus obtemperare liberum eſt, nec ſupra vires humanas auxilio gratiæ aut præſidio ſuffultas, poſitum. Dubitandi locus

Digitized by Google

non relinquitur, iſtiuſmodi legum divinarum violatione gratiam amitti, ac ſalutis jacturam conſequi, hominesque ſupplicio ignis ac pœnis æternis mancipari.

II. Ut homo liberè agere intelligatur, debet eſſe compos mentis, & integræ rationis; ita ut ea quæ facere aut non facere vult, perſpecta habeat, & accuratè cognoſcat. Quapropter infantes, fatui, ebrii & conſopiti homines non ſunt liberi, nec pœnis legibus impoſitis plectuntur propter peccata in his anguſtiis commiſſa, niſi liberè & ſine coactione ac neceſſitate naturali mentem ejuſmodi tenebris immerſerint. Enimverò ſcelera aut pravis habitibus faciliter, aut carentia gratiæ perpetrata, non deſinunt impoſitis pœnis ac ſup-

Digitized by Google

pliciis juſtè puniri. Quippè cùm his vitiis ac contumeliis liberè homo ſeſe inquinet, ac gratiarum auxiliis indignum reddat, quibus pravos animi affectûs vincere, ac vincula peccati conſtringentia ſolvere ac diſrumpere poſſet.

III. Etiam certum & extra omnem contentionem ac controverſiam poſitum eſt, bonitatem & malitiam cujuſcumque actûs liberi ex fine propoſito erumpere. Quâ de cauſâ cùm ſolus Deus verè bonus ſit, nec ulla in creaturis bonitas, niſi à Deo tradita concipi aut intelligi poſſit, ad nullum finem creaturæ liberæ ſpectare aut reſpicere poſſunt, præter Deum ſolum. Quamobrem ſanctus Paulus jubet, *omnia veſtra in charitate fieri*, I. Corint. cap. XVI. V. XIV. & verſ. XXII. ait : *Si*

Digitized by Google

quis non amat dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema. Sanctus Joannes, epiſtolâ I. cap. III. v. XIV. *Qui non diligit manet in morte.* Quorum veſtigia ingeminans ſanctus Auguſtinus lib. 3. de doctrinâ Chriſtianâ, cap. x ait: *Non præcipit ſcriptura niſi charitatem, nec culpat niſi cupiditatem.* Eo modo informat mores hominum enchiridii capite CXVII. *Regnat carnalis cupiditas ubi non eſt Dei charitas.* Libro IX. *de Trinitate*, cap. VIII. *Aut cupiditate, aut charitate dilectio ſola diſcernit inter filios Dei & filios diaboli. Cùm ait, totâ mente, totâ animâ, nullam vitæ partem reliquit quæ vacare debeat, & quaſi locum dare ut aliâ re velis frui.* Idem ait ſanctus Leo, ſermone v. de jejunio ſeptimi menſis: *Duo amores ſunt ex quibus omnes prodeunt voluntates: rationalis enim*

Digitized by Google

animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia; in dilectione autem mundi cuncta ſunt noxia. Sanctus. Gregorius I. Papa, homil. XXVII. in Evangelia: *Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis.*

IV. Exiſtimo conſilium ceû mentem rei faciendæ, quam theologi *intentionem* nuncupant, eſſe actum voluntatis, quo anima rationalis deſiderat comparare finem ſibi propoſitum per vias ceû ſulcos ad hunc finem diductos, quos media conducibilia vocant. Similiter ſubjicio *conſenſum* eſſe voluntatem viarum ſeû *mediorum* ad finem conſequendum. Exempli gratiâ, fornicatio & ſtuprum inferendum, ſunt finis ad quem ſpectat & e-

Digitized by Google

nititur mulieroſus homo. *Intentio* verò eſt mens ipſa, ceû voluntas ad hunc finem perveniendi per oſcula aut tactûs venereos. Sed cùm iſtiuſmodi oſcula & tactus viæ ſint à naturâ corruptâ diductæ, ceû media ad hunc finem aut metam fornicationis conſtituta: ejuſmodi tactuum & oſculorum voluntas conſenſus appellatur. Eadem ratione & prorſùs ſimili procedunt actus virtutis. Quippè Deus ipſe finis eſt, quem ſibi comparare ſtudent viri probi vexationibus carnis, jejuniis, eleemoſynis, caſtitate, chaeumeniis, adeóque omnia ad hunc finem pertingentia bonâ mente & intentione fieri creduntur; ipſa verò voluntas, ceû certa in ejuſmodi virtutum aſceſi permanendi conſtantia ad obtinendam interminabilis vitæ totam & per-

fectam in Deo poſſeſſionem, conſenſio ceû conſenſus appellatur.

v. Etiam plerumquè non dubito viarum ſalebras, ceû mediorum pravitatem ex fine reſilire. Eleemoſyna, verbi gratiâ, ad ſublevandam pauperis miſeriam ſtudio diligendi Dei, & amore ſincero erogata, optimum conſequendæ ſalutis præſidium eſt; quod non ſolùm pravum, ſed & turpiſſimum evadit, ſi mente vanâ & criminoſo conſilio, aut ſtupri virgini inferendi, fiat. Verumtamen obſervare neceſſe eſt, non ſemper ex fine reſilire pravitatem & malitiam mediorum ejuſmodi. Si quis enim interficeret maritum, animo vitiandæ conjugis, ejuſmodi medium, poſtpoſito fine, non minùs pertimeſcendum & horribile videretur.

vi. Quædam ad ſenſûs illabun-

Digitized by Google

tur oblectamenta innoxia, omni labe criminis ceû peccati mortalis carentia, dummodò capiantur non intemperanter, ſed ſalvo ordine à Deo naturæ impoſito inter organa ſenſuum & eorum objecta. Ejuſmodi verò voluptas & delectatio nihil aliud eſt, quàm ipſamet actio ſenſûs in objectum quod percipi poteſt, ceû reciprocatio quædam ſenſûs & objecti, v. g. lucis & oculi, auris & ſoni, guſtûs & ſaporis: quæ cauſa eſt applicatæ mentis ad motum localem corporis in organum, hoc eſt, repercuſſum corporis ex reticulo nervorum, quibus organa ſenſuum compacta ſunt. Iſtiuſmodi actus naturæ ſunt inſiti, nullâque lege vetiti. Hanc delectationem ſenſuum adipiſcebantur primi parentes antequàm peccato animam inqui-

Digitized by Google

naſſent. Oblectabantur conſpectu ſolis & luminis, & fructuum terræ, Geneſ. cap. III. verſ. VI. *Vidit mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit.*

VII. Fateri etiam neceſſe eſt conſilio & mente boni finis conſequendi, verbi gratiâ, procurandæ ſanitatis cauſâ, nihil prohibere quominùs conſpiciatur & tangatur pellis mulieris à medico, etiam in partibus corporis magis reconditis. Dicit enim S. Thomas, ſecundâ Secundæ quæſtione 154. articulo 5. in concluſione. *Tactus & oſcula, quamquàm ſecundùm ſpeciem ſuam non ſint mortalia peccata, ut tamen libidinoſa ſunt, inter mortalia numerari:* Niſi enim hæc ità ſint, ſalutem

ſibi procurare medici & chirurgi neutiquàm poſſent, ipſaque longa & difficilis ars medicinæ evaderet occaſio proxima peccandi; quod quidem incredibile & improbabile videretur. Reverà enim niſi oculi & alii ſenſus ab objecto naturali, vi concupiſcentiæ ac pravæ libidinis diſtraherentur, nullum mali veſtigium in his tactibus aut aſpectibus occurreret. Poſt peccatum commiſſum à primis parentibus iſtiuſmodi aſpectibus & macula ſceleris & peccati mortalis imbutis, quædam membra corporis pudenda & verenda dicta ſunt, eaque homines occulere debuerunt: *Cùmque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficûs & fecerunt ſibi perizomata.* Poſtquàm revixerint homines, æternæ beatitudinis participes, extinctâ ac

penitùs deletâ cupiditate ceû concupiſcentiâ, nihil vetabit reſpicere corpora nuda mulierum, eaque in oculos incurrere ſpectantium abſque ſceleris contumeliâ.

VIII. Sed ab eo tempore, quo pondere gravi cupiditatis compreſſus eſt homo, à cujus labe Chriſtus immunis extitit, exorta eſt criminoſa voluptas ſenſuum, quæ venerea nuncupatur. At verò duplex voluptatis ejuſmodi genus recognoſcere & reputare neceſſe eſt; ſcilicet quod ex ſanguinis ſpermatici ceû fluore libero, aut vitalium ſpirituum ad partes genitales commotione confluentium, illabitur; cùm mirificè impulſum ſemen turgidumque ſpirituum ubertate vix poteſt vaſis à naturâ ſibi deſtinatis contineri, ſed cogitur foràs exilire ingenti

Digitized by Google

voluptate, quam natura corrupta libidinem, quaſi ſtimulum ex ſeminis ardore, mari & fœminæ injecit, & partibus obſcœnis illecebras, & admirabile congreſſûs deſiderium, ut ſua ſemina in unum conferrent, alioquìn prorſùs inutilia futura. Hæc eſt voluptas primi ordinis.

Alterum voluptatis genus ſecundi ordinis nuncupatæ, eſt ſimplex delectatio carnis ex libidine ceû cupiditate, pœnâ peccati hominibus impoſitâ, erumpens in appetitu ſenſitivo: voluntate humanâ prorſùm repugnante fluori, ceû emiſſioni ſanguinis ſpermatici, & vitalium ſpirituum commotioni. Porrò hæc voluptas tota coërcetur limitibus ac carceribus oſculorum, tactuum & amplexuum, adeò ut ſtimulus ex ardore ſeminis ortus, & illecebra

partibus obſcœnis injecta, nullum congreſſûs deſiderium pariat, ut mas & fœmina ſua ſemina in unum conferant. Hæc poſterior voluptas ex libidine erumpens, minùs venerea eſt quàm prior, ſed prorſùm magis criminoſa, quàm innocua & omnis peccati contumeliâ expers voluptas primorum parentum, antequàm mandato Dei parere renuiſſent, quæ ex ſolâ proportione naturali organorum & objectorum ſenſibilium erumpebat, nondùm injectâ libidine, ac ſtimulis carnis, ac partibus obſcœnis illecebris, quibus ſolers & provida rerum natura viſa eſt medicis poſt peccatum homines ad propagationem invitare.

IX. Inſuper etiam cognotiſſimum eſt, periculum proximum ceû occaſionem proximam con-

Digitized by Google

ſenſionis liberæ & voluntariæ ad ejuſmodi delectationes venereas primi & ſecundi ordinis criminoſas exiſtere & imminere, cùm probè ſcimus & intelligimus ex his tactibus & oſculis libidinoſis, quoties eſſiunt, ſæpiùs ſaltem exſurgere & efformatum iri à nobis voluntatem, ceû deſiderium efficax tranſiliendi limites præſcriptos oſculorum & tactuum, & committendi peccati carnis ceû fornicationis, mollitiei, ſtupri, pedicationis, adulterii, denique liberæ emiſſionis ſanguinis ſpermatici, aut commotionis ſpirituum vitalium, quorum copiâ, dùm concavus in pene nervus expletur, vias diſtendit, per quas ſemen directè; ordinariè & vulgò projicitur.

x. Quin etiam hîc ſubjicere non pertimeſco opinionem mul-

Digitized by Google

torum theologorum eſſe veriorem & certiorem, exiſtimantium nullam materiæ levitatem ac tenuitatem in genere luxuriæ reperiri, quacumque voluptate primi aut ſecundi ordinis mentem expleat. Quippècùm 1°. nulla ſit affectio quæ magis animum faſcinet aut inebriet, adeóque ordinem à ſummo numine inter ſeipſum & creaturam rationalem conſtitutum, contumaciùs ac moroſiùs diſturbet ac diſſipet. 2°. Nihil quod vehementiùs in diſcrimen & periculum proximum committendi peccati mortalis adducat, teſte frequeni & minimè fallaci experientiâ. 3°. Nihil incredibibilius aut improbabilius eſſe poteſt, quàm inſtinctu amoris Dei, aut ſtudio charitatis, hominem velle frui voluptate ſecundi ordinis, adeóque ſalaces motûs

motûs excitare, prorſùs extincto & poſtpoſito deſiderio ceû voluntate efficaci ſibi procurandæ voluptatis, quæ ex concubitu ſolet exſurgere. 4°. Nihil profundiùs nos immergit fluctibus cupiditatis obſcœnæ, eâ delectatione ſenſuum, ceû voluptate ſecundi ordinis. Quippè cùm aliis ſenſibus, ſcilicet viſui, odoratui, guſtui, auditui longè debiliores injectæ ſunt illecebræ, quàm tactui. 5°. Cùm nullus dubitandi locus relinquatur theologis, quin cogitatio moroſa ſit peccatum mortale; & luxuria tactûs, ex qua erumpit voluptas ſecundi ordinis, ſit magis incœpta copula; dubium ſupereſſe non poteſt quin ſit peccatum mortale, adeóque minimè leve aut veniale. Quæ cùm ità ſint, ex his omnibus intelligere neceſſe eſt, benè

Digitized by Google

ac ſapienter Claudium Aquaviva præfectum generalem Jeſuiticæ Societatis omnibus ſuæ congregationis theologis interdixiſſe hac opinione, & impoſitis pœnis graviſſimis prohibuiſſe, quominùs docerent levitatem materiæ in genere luxuriæ reperiri, lato decreto Romæ XXIV Aprilis, anno M. DC. XII. Ad hunc ſenſum anteà ſummi pontifices Clemens VIII. & Paulus V. edicto ſanciverant, de hac opinione deferendos eſſe judicibus Inquiſitionis theologos, qui in quæſitâ deliberatè delectatione ex re vereneâ propter levitatem materiæ non eſſe peccatum mortale defenderent.

Quamobrem Thomas Sanchez, qui in denſo opere, *de matrimonio*, libro nono, diſput. XLVI. numero VII. peccati mortalis

Digitized by Google

excuſationem dederat quibuſdam delectationibus venereis, habitâ ratione parvitatis materiæ, hanc opinionem ejuravit libro v. Summæ, cap. vi. num. ix. docens, in illis delectationibus, ſi capiantur ex objecto gravi, etiam ſecluſo periculo pollutionis, & conſenſûs in aliud objectum grave, non reperiri parvitatem materiæ. His ità conſtitutis, priuſquàm excutiamus quæſtionem in hac lucubratione tractandam, ſcire neceſſe eſt multas eſſe ex hac exercitatione quæſtiones amovendas, ne quod in diſputationibus ſcholaſticis contingere ſolet, multa ſupervacanea & faſtidioſa nobis excidant.

1°. Igitur quæſtio non eſt de aſpectibus aut tactibus, qui ante lapſum primi parentis ſine contumeliâ peccati fieri potuerunt;

nihil enim in eis venereum aut libidinoſum eſſe poterat, nondùm ortâ & injectâ per peccatum libidine ceû cupiditate, quæ cùm ſit pœna peccati, ſtatui innocentiæ inſociabilis fuit. 2°. Neutiquàm etiam quæſtio eſt, de tactibus aut aſpectibus, quæ à ſanctis hominibus, & gratiæ victricis donis exornatis, ſine labe peccati fieri poſſe in ſtatu naturæ reparatæ, quibuſdam videntur; in quibus, velut in infantibus, conſopita cupiditas, atque ab omni concretione ſordium carnis ſegregata, ſine motu quieſcit. Ejuſmodi enim hypotheſis rara, incredibilis & metaphyſica eſt, & quæſtionem noſtram nuſquàm attinet. 3°. Non anquirimus leves tactûs & amplexûs, quibus parentes & neceſſarii ſuis ſororibus, filiabus aut conſobrinis puro

Digitized by Google

& honeſto oſculo ſuam benevolentiam teſtificantur peregrè profecturi, aut itinere confecto domum redeuntes. 4°. De medicis & chirurgis nihil etiam diſquirimus, qui ſuæ artis neceſſitate partes corporis obſcœniores, & quibus magis injectus eſt ſtimulus libidinis, contrectare tenentur.

Sola igitur reſtat agitanda quæſtio, utrùm oſcula, tactus & amplexus inter perſonas liberas, ſcilicet nullo ſponſalium aut matrimonii vinculo impeditas, animo capiendæ delectationis, in ſenſu ex ejuſmodi tactibus exſurgentis, ſint peccata mortalia, quamvis nec ipſa fornicatio, nec voluptas ex coïtu & pruritu deſpumans, in mentem aut cogitationem incurrant. Ego verò defendo ejuſmodi oſcula, tactûs & amplexûs,

Digitized by Google

nihil enim in eis venereum aut libidinoſum eſſe poterat, nondùm ortâ & injectâ per peccatum libidine ceû cupiditate, quæ cùm ſit pœna peccati, ſtatui innocentiæ inſociabilis fuit. 2°. Neutiquàm etiam quæſtio eſt, de tactibus aut aſpectibus, quæ à ſanctis hominibus, & gratiæ victricis donis exornatis, ſine labe peccati fieri poſſe in ſtatu naturæ reparatæ, quibuſdam videntur; in quibus, velut in infantibus, conſopita cupiditas, atque ab omni concretione ſordium carnis ſegregata, ſine motu quieſcit. Ejuſmodi enim hypotheſis rara, incredibilis & metaphyſica eſt, & quæſtionem noſtram nuſquàm attinet. 3°. Non anquirimus leves tactûs & amplexûs, quibus parentes & neceſſarii ſuis ſororibus, filiabus aut conſobrinis puro

Digitized by Google

& honeſto oſculo ſuam benevolentiam teſtificantur peregrè profecturi, aut itinere confecto domum redeuntes. 4°. De medicis & chirurgis nihil etiam diſquirimus, qui ſuæ artis neceſſitate partes corporis obſcœniores, & quibus magis injectus eſt ſtimulus libidinis, contrectare tenentur.

Sola igitur reſtat agitanda quæſtio, utrùm oſcula, tactus & amplexus inter perſonas liberas, ſcilicet nullo ſponſalium aut matrimonii vinculo impeditas, animo capiendæ delectationis, in ſenſu ex ejuſmodi tactibus exſurgentis, ſint peccata mortalia, quamvis nec ipſa fornicatio, nec voluptas ex coïtu & pruritu deſpumans, in mentem aut cogitationem incurrant. Egò verò defendo ejuſmodi oſcula, tactûs & amplexûs,

Digitized by Google

ſolius voluptatis cauſâ ſecundi ordinis liberè factos, eſſe peccata mortalia.

1. Omnis affectus cupiditatis regnantis è diametro repugnans & oppoſitus charitati, eſt inſociabilis gratiæ, quæ vita eſt animæ hominis chriſtiani, adeóque peccatum mortale. Sed ejuſmodi eſt tactus voluptatis cauſâ, qui fit poſtpoſitâ voluntate ſeminis in unum cum fœminâ conferendi. Ergo tactus & amplexus voluptatis cauſâ ſecundi ordinis, ſunt peccata mortalia. Dubium ſupereſſe non poteſt quin tactus voluptatis cauſâ ſit è diametro oppoſitus & repugnans charitati, cùm ſit effectus cupiditatis regnantis, & in ſtatu innocentiæ permanere neutiquàm potuerit. Porrò peccatum quod in ſtatu innocentiæ eſſe non potuit, eſt

inſociabile gratiæ, adeòque mortale. Conſectaneum igitur neceſſarium eſt ejuſmodi tactûs voluptatis cauſâ ſtatui gratiæ ceû innocentiæ repugnantes, eſſe lethales. Hæc omnia corollaria ſunt ex VIII. lemmate demonſtrata.

II. Si quæ ſit aliquando levitas materiæ in genere luxuriæ, ex qua poſſit argui & probari tactûs libidinoſos & venereos ſecundi ordinis non eſſet lethales, maximè videtur contingere, cùm ſit efficax voluntas non progrediendi ulteriùs, ceû nunquàm in ejuſmodi caſibus emittendi, aut miſcendi ſanguinis ſpermatici: ſed cùm ejuſmodi levitas materiæ neutiquàm poſſit eſſe, propter allatas rationes lemmate X. ex quibus intelligere facile eſt opinionem theologorum eſſe ve-

riorem & certiorem exiſtimantium nullam materiæ levitatem in genere luxuriæ reperiri, & inſuper inter omnes theologos ſtatutum ſit ſequi opinionem certiorem & probabiliorem, fultam præſertìm non ſolùm rationibus, verùm etiam auctoritate pontificum Romanorum, & virorum doctorum, quos eodem lemmate retulimus: concludere neceſſe eſt oſcula, tactûs & amplexûs voluptatis cauſâ, utcumque ſecundi ordinis factos ex vagâ venere, eſſe lethales, & nunquàm poſſe inter peccata venialia recenſeri.

III. Quidquid palàm ac publicè pudendum ac probroſum eſt, nec ullâ naturali lege aut poſitivâ, privatìm tuendum aut permiſſum eſt, debet recenſeri inter peccata publica, ſolemni pœni-

Digitized by Google

tentiâ plectenda, adeóque excommunicatione & privatione corporis Chriſti punienda. Quæ reverà mortalia ſemper exiſtimata ſunt, quippè cùm peccata levia & venialia ejuſmodi pœnitentiæ legibus nunquàm fuerint obnoxia. At verò tactus, amplexus & oſcula voluptatis venereæ cauſâ, licet ſecundi ordinis, haud fieri poſſunt ſine pudore, opprobrio & turpitudine. Ideóque ejuſmodi criminum rei occulere totis viribus enituntur; nam, ut ait Tertulianus, *omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit.* Nec clàm aut privatìm fieri poſſent abſque turpitudine & ignominiâ, pudore & verecundiâ. Igitur ſunt peccata mortalia. Eâ de cauſâ primi parentes, ſuæ nuditatis ignominiâ verecundi, licet adhuc privatim vive- *Apologeticus.*

Digitized by Google

rent, nullis ineunte mundi ætate confeſtim progenitis hominibus, quorum multitudine & coïtione continenti tempore reſpublicæ congregatæ ſunt, *fecerunt ſibi perizomata*, ſuam nuditatem ſenſerunt, Deoque vocanti reſponderunt: *Vocem tuam audivi, & abſcondi, eò quod nudus eſſem.*

IV. Nemini homini dubitandi locus relinquitur, quin ſit grave & mortale peccatum, incurrere liberè & cum poteſtate mentis in periculum proximum ceû occaſionem proximam peccati gravis & mortalis committendi. Quis verò defendat, aſpectum ceû tactum obſcœnæ partis mulieris voluptatis venereæ cauſâ, etiam cum voluntate non inferendi ſtupri, non eſſe periculum proximum, & occaſionem proximam peccati mortalis, quippè cùm de

ſe ad actum venereum ſtimulis libidinis continuò tendat, & tanta ſit copia turgidi ſeminis, ut ſe continere nequeat: Uti obſervavimus lemmate octavo. Hujuſce veritatis, argumentum optimum aſſumere facile eſt ab exemplo Davidis lib. II. Regum, cap. XI. ex quo intelligimus, ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται τὸ ἐρᾶν. Quippè cùm fortuïto & ſimplici oculorum ictu in Berſabeam injecto ſeſe in cratere fontis lavantem, accenſus ſit amoris ignis, quo vitium libidinis flagravit, ipſamque adeò deperiit, ut illatum ſtuprum conjugi cæde mariti cumulaverit. In hanc rem ſapienter dicit Eccleſiaſtes: *Averte oculum à muliere gratioſâ, & ne diſcas alienam pulchritudinem.* cap. IX. Et ſanctus Paulus cap. VII. epiſt. I. ad Corinthios, verſ. III. *Bonum eſt ho-*

Digitized by Google

mini mulierem non tangere. In quem locum obſervat ſanctus Hieronymus; *Si bonum eſt mulierem non tangere ; malum ergo eſſe tangere; nihil enim bono contrarium eſt , niſi malum.* Et poſtquàm animadvertit in ſolitario matrimonio ejuſmodi malum eſſe tolerabile, metu gravioris, ſcilicet, fornicationis: manifeſtè demonſtrat ejuſmodi tactûs inter homines non conjuges, ad mœchiam per ſe reſpectare , adeóque peccata mortalia evadere. Hæc verò continenti ſermone explicans ; prodidit comparationem eorum qui aduſtionis periculum incurrunt, dum in prunas nudis pedibus incedunt. *Non dixit , bonum uxorem non habere ,ſed* , bonum eſt mulierem non tangere ; *quaſi & in tactu periculum ſit ; quaſi qui illam tetigerit , non evadat quæ vi-*

1°. *Lib. ad. Iovinianum pag.* 21. *edit. Eraſmi, tom.* 1.

Digitized by Google

rorum pretioſas animas rapit, quæ facit adoleſcentium evadere corda. Alligabit quis in ſinu ignem, & non comburetur? aut ambulabit ſuper carbones ignis, & non ardebit? Quomodo igitur qui ignem tetigerit, ſtatìm comburitur, ità viri tactus & fœminæ ſenſit naturam ſuam, & diverſitatem ſexûs intelligit? Narrant & gentilium fabulæ Mithram & Erictonium vel in lapide, vel in terrâ de ſolo æſtu libidinis eſſe generatos: Unde & noſter Joſeph, quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus ejus, & quaſi ad morſum rabidiſſimæ canis nè paulatìm virus ſerperet, pallium quod tetigerat, abjecit. Cùm igitur dubio procul veriſſimum ſit evangelicum effatum, *Qui amat periculum peribit in eo*, neutiquàm dubitandum eſt, eos qui tactibus, amplexibus & oſculis volup-

tate venereâ ſecundi ordinis animum explent, peccata mortalia, ſuarum animarum cladem importatura, committere.

v. Sancti Clementis Alexandrini, qui tertio ſæculo Eccleſiæ ineunte vixerat, veſtigiis inſtitit ſanctus Hieronymus; ait enim ſui pedagogi lib. III. cap. XI. pag. 188, lit. D. ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ἄναγνον φίλημα πλῆρες ἰοῦ ἁγιωσύνην ὑποκρινόμενον· ἢ οὐκ ἴστε ὅτι καὶ τὰ φαλάγγια, προσαπτόμενα μόνον τῷ στόματι ὀδύναις ἐπιτρίβει τοὺς ἀνθρώπους, *Eſt autem aliud quoque oſculum inceſtum veneno plenum, ſanctitatem ſimulans. An neſcitis quod etiam phalangia, ſi ore tantùm tangant, graves dolores hominibus afferunt.* Harpocration literâ Φ. obſervat Xenophontem dixiſſe libro 1°. *Memorabilium Socratis*, ὅτι τῶν δακέτων τι ζῶόν ἐστι τὸ φαλάγγιον. *Phalangiun eſſe animal de*

numero eorum quæ morſu nocent. Ait verò Xenophon ex Socrate, lib. 1°. *Memorabilium*, pag. 421. numero XL. ὅτι τὰ φαλάγγια ὀυδ' ἡμιωβολιαῖα τὸ μέγεθος ὄντα προσαψάμενα μόνον τῷ στόματι ταῖς τε ὀδύναις ἐπιτρίβει τοὺς ἀνθρώπους. *Quod phalangia non ſemioboli magnitudinem habentia, deſigentes ora, doloribus conterunt homines.* Porrò idem Clemens pag. 189. lit. A. δοκεῖ δὲ ὑπὲρ πάντα τῆς τῶν γυναικῶν ὄψεως ἀπεστράφθαι· οὐ γὰρ ἁψαμένους μόνον, ἀλλὰ καὶ θεασαμένους ἐστὶν ἁμαρτεῖν. *Videtur autem ſuper omnia eſſe averſandus mulierum aſpectus: non ſolùm enim ſi tangantur, ſed etiam ſi ſpectentur, peccare eſt.* ὧν μάλιστα ἀποφεύγειν χρὴ τὸν γνησίως παιδαγωγούμενον. Quæ maximè vitare oportet qui ſincerè inſtitutus eſt. Quis verò dubitet eſſe peccatum mortale *quod ſuper omnia, quod maximè*

vitare oportet qui ſincerè inſtitutus eſt. ὑπὲρ πάντα. ὧν μάλιστα ἀποφεύγειν χρή. Athenagoras nobilis philoſophus Athenienſis, non minùs chriſtianâ quàm gentilium theologiâ ac ſcientiâ celebris, libro *de legatione pro chriſtianis*, ceû *apologiâ*, ait, nè aſpicere quidem fœminas licere chriſtianis: ἡμεῖς δὲ τοσοῦτον ἀδιαφορεῖν ἀπέχομεν ὡς μηδὲ ἰδεῖν ἡμῖν πρὸς ἐπιθυμίαν ἐξεῖναι. ὁ γὰρ βλέπων φησὶ γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, ἤδη μεμοίχευκεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. *Nos verò tantum abeſt ut promiſcui ſimus, ut ne aſpicere quidem ad concupiſcentiam fœminas liceat, &c.* Quis verò dubitet ejuſmodi aſpectûs inter lethalia peccata recenſuiſſe? cùm ejus ætate vita chriſtianorum adeò intaminata extiterit, ut nullum iis peccatum mortale objici potuerit. *Noſtro autem populo*, inquit Lactantius,

tantius, *quid horum poteſt objici, cujus omnis religio eſt ſine ſcelere, ac ſine maculâ vivere.* libro v, *Inſtitutionum.* cap. IX. pag. 485.

VI. Sanctus Gregorius Nazianzenus, oratione VI. pag. 139. lit. C. editionis abbatis doctiſſimi Jacobi Billii, conceptis verbis docet, oculis, tactu & guſtu committi peccata mortalia : τὸν ὀφθαλμὸν σωφρονίσωμεν, παιδαγωγήσωμεν ἁφὴν λυσσῶσαν, καὶ γεῦσιν σπαράττουσαν, μὴ θάνατος ἀναβῆ διὰ τῶν θυρίδων ἡμῶν. *Oculum frænemus, tactum rabioſum & guſtum vellicantem coërceamus, ne mors aſcendat per feneſtras noſtras.* Ecquid enim intelligit ſanctus Gregorius per mortem, niſi peccatum mortale, quod ſimplici & voluntario tactûs, viſûs & guſtûs uſu intima animarum viſcera penetrat?

VII. Sanctus Gregorius Nyſ-

Digitized by Google

ſenus, tomo I. homil. IV. in Eccleſiaſten, pag. 412. lit. D. viſum cum machinâ bellicâ comparat, quæ oculorum ope animam penitùs diruit ac omninò perimit: quo quidem ſignificat quantum ſit periculum in quod aſpectibus rerum prohibitarum, & pudore naturæ abſconditarum, adducimur: ἐντεῦθεν ἡ ὄψις οἷόν τι μηχάνημα πολεμικὸν τοῖς ὀφθαλμοῖς τοῦ ταῖς ᾠδαῖς ἐπιπίπτοντος προδιαλυθέντος ἐμπίπτουσα τὴν ψυχὴν καταστρέφεται. *Illuc viſus, tanquàm aliqua machina bellica, in oculos, eo quod in aures cantibus incurrerat, jam fracto incurrens, evertit animum.* Quid enim mortale peccatum eſt, niſi quod *evertit animum?*

VIII. Quàm horribile ac pertimeſcendum ſit diſcrimen, in quod vita eorum adducitur, qui aſpectibus mulierum obſcœnis,

animam ſuam inquinant , teſtificatur clariſſimè ſanctus Baſilius Seleucienſis , oratione VI. pag. 33. lit. C. in quâ mentionem facit victoriæ ab Iſraëlitis de Madianitis reportatæ, ex capite III. *Numerorum* : Καρπὸν ἀσεβείας τρυγήσαντες ἀσεβεία καὶ ὅπλοις νικῶντες ὄμασιν ἐπιπτὸν. καὶ δόρασι κρατοῦντες τοῖς τοῦ κάλλους ἐτιτρώσκοντο βέλεσιν. *Fructum impietatis vindemiati impietate & haſtis vincentes , oculis cædebant ; & armis vincentes, pulchritudinis telis vulnerabantur.* Iſtæ enim erant quæ deceperant filios Iſraël ad ſuggeſtionem Balaam , & cum quibus fornicatus eſt populus , quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua , Num. cap. XXV. v. I. & II. & cap. 3. v. XVI.

IX. At verò quantum ejuſmodi periculum ex viſu , tactuque immineat caſtitati , nemo homi-

num vehementiùs exageravit, quàm ſanctus Auguſtinus ſermone LXXXIII. *de tempore.* editionis Antuerpienſ. M. D. LXXVII. in qua progreſſum libidinis ex aſpectu ſcaturientis, ad inferendum ſtuprum, explicans, prodidit exemplum fœminæ Putipharis adverſùs Joſephum, quæ ſe ſuis retibus implicuit, ac propriis vinculis conſtrinxit venereis aſpectibus quos in Joſephum conjecit, tanquàm prima tela adulterii continenti tempore patrandi, quod animo conceperat. *Diſcant nunc viri cavere oculos fœminarum, cùm amantur, & qui volunt amari: deniquè adamatus eſt Joſeph, qui amantem contempſerat; & benè excuſavit eum ſcriptura, dicens:* Immiſit oculos uxor domini ejus in Joſeph; *hoc eſt, non iſte ſe oſtentavit; nec illa cepit incautum,*

Digitized by Google

ſed illa retia ſua immiſit, & indagine ſuâ capta eſt. Catenas ſuas ſparſit, & in ſuis vinculis colligata eſt. Dixit autem illi: Dormi mecum: *Prima adulterii oculorum tela, ſicut ſecunda verborum.* Verùm ſi prima adulterii tela oculos eſſe exiſtimavit ſanctus Auguſtinus, an credibile eſt aliter ſenſiſſe de tactibus voluptariis & venereis; qui cùm vehementiùs pungant ipſis aſpectibus, etiam animum nervoſiùs feriunt & inclinant? Et cui dubium ſubolere poteſt, quin ejuſmodi aſpectûs & tactûs venereos eſſe peccata mortalia comprobaverit, quos vi tenſili naturæ corruptæ ad fornicationem aut adulterium per ſe collimare intellexerit, quod voluntati ſpecie repugnanti mentiendæ caſtitatis neceſſarius finis eſt, & alienæ perſonæ.

Thomas Sanchez Jeſuita, in denſo opere *de matrimonio*, quod non gloriandum, ſed pudendum appellant Eccleſiæ Gallicanæ patres ore patulo Petri Aurelii tom. II. lib. IX. *de debito conjugali*, diſput. XLVI. pag. 313. num VII. obfirmato pectore defendit, fornicationem & adulterium eſſe fines naturales aſpectuum & tactuum ejuſmodi, qui fiunt mente neutiquàm applicatâ ad voluptatem, quæ ex finibus iſtis reſilire ſolet. Inſuper probat oſculis, ceû baſiis & tactibus, quibus bruta animantia turgido calore ſalacitatis excitata ſeſe veluti perfricant, ut in unum ſemen conferant, & ad copulam carnalem perveniant; quod quidem in animantibus mente & voluntate carentibus, vi turgidæ naturæ & efferveſcentis, fieri neceſſe eſt.

Digitized by Google

Continenti ſermone firmiſſimè tuetur, ejuſmodi aſpectûs & tactûs voluptuarios propiùs accedere ad coïtum & copulam, cogitatione moroſâ, quam concorditer omnes theologi fatentur eſſe inter peccata mortalia recenſendam.

x. Regino abbas Prumienſis, qui ſæculo decimo ineunte vixit, lib. II. *de diſciplinâ eccleſiaſticâ*, pag. 250. & 251, ait, hominem tactu pudendo fœminam attrectantem, impoſitâ pœnitentiâ trium menſium plecti ac puniri debere. At verò cùm ejuſmodi pœnitentia excommunicationem à corpore Chriſti complecteretur, & hæc pœna in ſolitaria peccata mortalia inſtituta fuiſſet: tactûs venereos & voluptuarios ad peccata mortalia Reginonem aggregaſſe neceſſe eſt. *Qui teti-*

Digitized by Google

gerit inverecundè carnem fœminæ, tres menſes pœniteat.

XI. Ætate ſancti Cypriani extitere virgines, quæ licet conſilium animo ceperint ſervandæ caſtitatis integro vitæ tempore, cum viris cubare non renuebant. Porrò conſtat ejuſmodi virgines conſtituiſſe voluntate efficaci non violari ab ejuſmodi viris, eoſque viros earum virginitati officere noluiſſe; immò ab omni crimine ſtupri ac pollutionis abhorruiſſe. Hoc intelligimus clariſſimè ex epiſt. S. Cypriani Pomponio LXII. pag. 112. quam ſuo nomine, Cæcilii, Victoris, Sedati, Tertulli & aliorum Africæ preſbyterorum reſcripſerat ad conſultationem ſibi factam de ejuſmodi virginum uſu perverſo, temerariâ & inconſideratâ agendi ratione: quam prorſùs vitandam eſſe, & dare

Digitized by Google

locum diabolo, reſpondit, adeóque peccati mortalis condemnavit. *Legimus*, inquit, *literas tuas, frater chariſſime, quas per Paconium fratrem noſtrum miſiſti, poſtulans & deſiderans ut tibi reſponderemus quid nobis de iis virginibus videatur; quæ cùm in ſtatu ſuo eſſe, & continentiam tenere firmiter decreverint, detectæ ſunt poſteà in eodem tecto pariter manſiſſe cum maſculis, ex quibus unum diaconum eſſe dicis; planè eaſdem quæ ſe cum viris dormiſſe confeſſæ ſunt, aſſeverare ſe integras eſſe.* Et continenti ſermone, quibuſdam lineis interpoſitis. *Primo igitur in loco, frater chariſſime, & præpoſitis, & plebi nihil aliud elaborandum eſt, quàm ut qui Deum timemus, cum omni obſervatione diſciplinæ præcepta teneamus, nec patiamur errare fratres noſtros, & pro arbitrio ſuo vivere,*

Digitized by Google

ſed vitam ſingulis fideliter conſulere, nec pati virgines cum maſculis habitare : non dico ſimul dormire, ſed nec ſimul vivere, quando ſexus infirmus, & ætas adhuc lubrica per omnia frænari à nobis aut regi debeat, ne diabolo inſidianti, & ſævire cupienti, ad nocendum detur occaſio ; quando & Apoſtolus dicat : NOLITE LOCUM DARE DIABOLO. Quis verò neget eſſe peccatum mortale, dare locum diabolo?

XII. Multis verò elapſis à S. Cypriano ſæculis, duodecimo ſcilicet ineunte, non abſimile negotium fortuïtò contigit ætate Roberti de Arbricellis, Ordinis Fontiſ-Ebraldi inſtitutoris : quem ex epiſtolâ XLVII. lib. IV. Goffridi abbatis Vindocinenſis intelligimus, vexandæ carnis, & probandæ caſtitatis cauſâ, non abnuiſſe cubare cum mulieribus, ac

eadem ſpondâ uti; adhibitâ voluntate efficaci non vitiandi ejuſmodi fœminas, alioquin ſuâ pietate & religione ſingulares, & commendatione dignas, & ad omnem eventum paratas, ut ſuam caſtitatem & integritatem probarent. Verumtamen Goffridus Vindocinenſis ejuſmodi vexandæ carnis, & probandæ igne cupiditatis, caſtitatis rationem vehementer improbat, & peccati mortalis accuſat. *Fœminarum*, inquit, *quaſdam, ut dicitur, nimis familiariter tecum habitare permittis, quibus privata verba ſæpiùs loqueris, & cum ipſis etiam & inter ipſas noctu frequenter cubare non erubeſcis. Hinc tibi videris, ut aſſeris, dominici ſalvatoris indignè bajulare crucem, cùm extinguere conaris malè accenſum carnis ardorem. Hoc ſi modò agis, ut aliquando*

egiſti, novum & inauditum, ſed infructuoſum martyrii genus inveniſti, certè nec utile fieri poteſt, nec aliquo modo fructuoſum, quòd contra rationem noſcitur eſſe præſumptum. Et infrà, *Quod ſi ità eſt*, carpens nimiam ſeveritatem aut laxitatem Roberti, *in utroque vehementer offendis, & modum totius diſcretionis tranſgrederis.* Quis verò dicat Deum vehementer offendi peccato veniali, & modum totius diſcretionis hominem tranſgredi ſine peccato mortali? Equidem ſcio eminentiſſimum cardinalem Bona, libro *de divinâ pſalmodiâ*, hanc epiſtolam abjudicare Goffrido Vindocinenſi, & hæretico Ruſcelino Triteïtæ adſcribere, in concilio Sueſſionenſi condemnato, anno M. C. XL; ac reverendum patrem *de la Mainferme*, doctiſſimum Ordinis Fon-

Digitized by Google

tiſ Ebraldi aſcetam, diſſertatione deditâ operâ confectâ, hanc epiſtolam falſò fuiſſe adſcriptam Goffrido Vindocinenſi defendiſſe. Sed cùm doctiſſimus Mabillonius congregationis S. Mauri, in inveſtigandâ antiquitate laborioſus monachus, in itinere Italico, pag. 54. amplâ teſtificatione ſignificet ſe vidiſſe Romæ in bibliothecâ ſereniſſimæ Reginæ Chriſtinæ, codicem manuſcriptum ætati Goffridi ſupparem aut æqualem, in quo hæc epiſtola incurrit, & alteram ejuſdem ſpeciei & ætatis in bibliothecâ Florentinâ; de ſinceritate hujus epiſtolæ dubitandi locus non relinquitur. Sed cùm præſertìm doctiſſimus Jacobus Sirmondus, cujus fidem in ſuſpicione nemo criticus poſuit, hanc epiſtolam Goffridi publici juris fecerit

Digitized by Google

cum reliquis ejus operibus, eaque antiquis codicibus manuſcriptis optimæ notæ exſcripſiſſe teſtificetur, omnia argumenta ſuppoſitionis non ſunt firma nec ſolida, donec illi codices manuſcripti allegationis falſi convincantur, & ſuppoſititii judicio conſtituto lite certâ & ſolemni ſuique generis formulâ inſtitutâ, declarentur. Porrò ſic fatur Sirmondus in præloquio editionis Goffridi, anni M. DC. X. *In editione porrò adornandâ binis exemplaribus antiquæ & probæ utroque notæ uſi ſumus: nam præter Cænomanicum, quod è ſancti Petri de Culturâ cœnobio nacti jam eramus, alterum nobis è monaſterio ſuo ſuppeditavit prolixa & ſingularis D. Michaëlis Subleti abbatis Vindocinenſis humanitas.*

XIII. Sanctus Antoninus ex

Digitized by Google

Ordine ſancti Dominici, qui Florentinus archiepiſcopus fatis conceſſit anno M. CCCC. LIX. ſecundâ parte Summæ, titulo V. *de luxuriâ*, §. VII. de quarto gradu, de quibuſdam hominibus ſuæ ætatis ſpecie piis mentionem facit, exercitati vultûs & affectûs erga res ſacras; qui ad magnam ſanctitatis famam ſibi procurandam, ſpecie & nomine vexationis carnis ac ſpiritûs, mulieres in præſentiâ & ante oculos ſuis veſtibus & integumentis omnibus denudabant, quibuſcum rei habendæ nullum conſilium aut mentem conceperant; immò nec ipſum oblectamentum ſenſuum ſpectaverant conſpectu fœmorum muliebrium commentitâ pietate ac ſanctitate conſecratorum. Verumtamen ejuſmodi mentiendæ ſanctitatis rationem peccati mor-

Digitized by Google

talis accuſare, & condemnare non abnuit. *Sed quid*, inquit, *de illis qui ſub ſpecie mortificationis ſpiritualis, faciunt coram ſe denudare mulieres totaliter, ſicut compertum eſt aliquando in aliquibus prætendentibus ſanctitatem: credo non poſſe excuſari à peccato mortali*

XIV. Omnes Juriſconſulti canonici & theologi, concorditer docent, ſexto præcepto decalogi relato cap. XX Exodi, οὐ μοιχεύσεις; *Non mœchaberis*: hebraïcè לֹא תִּנְ אָף *Non committes adulterium*, non ſolùm prohibitum & vetitum fuiſſe adulterium, ſed fornicationem, mollitiem, παιδεραστίαν, & ζωοφθορείαν, & ad hanc ſpeciem attinentia peccata, quales ſunt tactus, baſia, amplexus, oſcula, & ad rem per ſe cum mulieribus habendam ſpectantia, quæ voluptatis

Digitized by Google

luptatis venereæ illicio fiunt, ſinccrâ, ut videtur, mente, & efficaci voluntate non progrediendi ulteriùs, aut vitiandæ mulieris, & in unum cum eâ ſeminis conferendi, aut ſepta naturæ pudenda penetrandi. Genericum nomen mœchi exiſtimavit inter Latinos Horatius, ad ſignificandos juvenes nebulones omni vitæ ratione cum mulieribus ſcitos & elegantes, concinnè ſe gerentes, urbanitate politos, benè nummatos, & benè capillatos, lib. 1°. carm. ode xxv.

Invicem mœchos anus arrogantes,
Thracio bacchante magis ſubinter
Lunia vento.

Quæ cùm ità ſint, intelligere facile eſt ex vulgatâ verſione, Deum interdixiſſe hominibus omni genere voluptatis venereæ, primi ſcilicet & ſecundi ordinis;

Digitized by Google

hoc luce meridianâ clariùs patet ex capite v. verſ. XXVIII ſancti Matthæi, Πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, ἤδη ἐμοίχευσεν αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam*, id eſt, ex concupiſcentiâ, *jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Quippè cùm ſanctus Chryſoſtomus homiliâ ad hæc verba dicat, adulterium non eſſe ſolum actum venereum, quo ſanguinem ſuum cum muliere miſçet, ſed ſimplicem aſpectum pudendum & voluptuarium: μοιχεία ἐστὶν οὐ συμπλοκὴ μόνον οὐδὲ ὁμιλία σώματος ἀλλὰ καὶ ὄψις ἀκόλαστος. *Adulterium eſt, non tantùm coïtus venereus, vel commixtio corporalis, ſed etiam impudicus & libidinoſus aſpectus.* Sed ſi hæc de aſpectu ſimplici, à fortiori de tactu propiùs ad rem cum muliere habendam

accedente, intelligere neceſſe eſt: quo caſtitas ad majores anguſtias, & in diſcrimen imminentius adducitur. Sanctus Clemens Alexandrinus ſic fatur libro tertio *Pedagogi*. Κλαδαρεὶ ὄψις, καὶ ἐνιλλώπτειν ὅ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν βλεφαρίζειν ἐστὶν οὐδὲν ἀλλ' ἢ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν μοιχεύειν ἐστὶν ἀκροσολιζομένης τῆς ἐπιθυμίας δι' αὐτῶν πρὸ γὰρ τοῦ παντὸς σώματος διαφθείρονται οἱ ὀφθαλμοὶ. *Laſcivi aſpectus & verſatibilibus ac tanquàm conniventibus oculis intueri, nihil alıud eſt quàm oculis mœchari; cùm per eos cupiditas ineat primæ pugnæ præludia: ante totum enim corpus corrumpuntur oculi.* Quæſtionem conceptis verbis dirimit ſanctus Baſilius magnus, lib. *de legendis libris gentil.* tomo 1°. pag. 577. ὁ ἐμβλέψας πρὸς ἡδονὴν γυναικὶ, κἂν μὴ τῷ ἔργῳ τὴν μοιχείαν ἐπιτελέσῃ, ἀλλὰ τὸ

γε τὴν ἐπιθυμίαν τῇ ψυχῇ, παραδέξασθαι, οὐκ ἀφίεναι τοῦ εγκλήματος. *Qui mulierem ob delectationem, ceû voluptatem aſpexerit; & ſi adulterium opere non compleverit, ob id tamen quod concupiſcentiam animo conceperit, à crimine vacuus non eſt*, hoc eſt, culpâ mortali: nam ἐγκλήμα apud Heſychium ſignificat πταῖσμα & μέμψιν, quæ crimen & accuſationem gravem ſignificant, peccatiſque levibus & veniâ dignis non conveniunt.

XIV. Omittere vetat hujuſce lucubrationis ratio, doctrinam quam defendimus per manûs, à majoribus nobis traditam fuiſſe. Nam ſanctus Juſtinus martyr & philoſophus, qui ſecundo ſæculo Eccleſiæ, Kalendis ipſis Junii anni C. LXIII. martyrium ſuſtinuit, epiſtolâ ad Zenum & Serenum, explicans hæc verba Je-

Digitized by Google

remiæ prophetæ : *Neque ad uxorem proximi hinniamus*, ait, fœminam, cùm maris caro ſit, eſſe ei proximam, ceû vinculis propinquitatis & ſanguinis à naturâ conjunctam, ad quam equorum admiſſariorum more, hinnire non debemus Obſervat verò hinnitum contingere, non expletâ mente, jucunditate & voluptate coïtûs, ſed ipſâ cupiditate deſiderium vacuum, & deditâ operâ finis proprii expers ventilante : ἔστι δὲ καὶ ἡ πλησίον γυνὴ, σὰρξ ἐν ἡμῖν, ἐφ' ἣν οὐ χρεμετιστέον, χρεμετίζει καὶ ὁ μηδέπω πεποιηκὼς τὴν ἐπιθυμίαν ἀναθυμιωμένης αὐτῷ τῆς ὀρέξεως κἂν μὴ λαμβάνῃ τὸ τέλος. *Eſt præterea proxima mulier caro in nobis, ad quam non hinniendum : adhinnit verò etiam qui animi ſui libidinem non explevit, concupiſcentiâ tantummodò ejus appetitionem exha-*

lante, quamvis ea finem ſuum non capiat. In eadem epiſtolâ priùs dixerat de commercio quod boni & caſti viri nuſquàm habent cum mulieribus προσοπτέον αὐταῖς ὑγιῶς καὶ περιέργως δεδιότας τῆς μετ' αὐτῶν ἀναστροφῆς τὸ κινδυνῶδες καὶ προγινώσκοντας τό τε δυσμετάβολον αὐτῶν, καὶ τὴν εἰς ὅπερ οἴονται γεγονέναι σπουδῆσιν. *Sed nè labamur, aut fallamur, providendum, & ad eundum ad illas mente ſanâ non ſedulò & indulgentèr nimium, periculumque quod in illarum conſuetudine ineſt metuendum.* His autem ità conſtitutis & confirmatis, dubium nullum ſupereſſe poteſt, quìn capta deliberatè voluptas, ex his conditionibus ſenſuum, ſcilicet, aſpectibus, tactibus & oſculis, ſit inchoatus coïtus, & ad eum naturaliter ſpectet: adeóque oblectamento voluptuario & venereo ſecundi ordinis ho-

minibus interdictum ſit ſexto præcepto decalogi, *non mœchaberis.* Hæc verò multorum juriſconſultorum acceſſionibus cumulare poſſumus, qui debere mulierem dotem jure amittere cenſuerunt, quæ oſculum aut tactum in ſinu non repudiaverit, ut docet Baldus volumine IV. conſil. CVII. numero IV. Nicolaus Bellonus, in rubricis, *de edendo.* Julius Clar, §. ad ultim. num. VI. Modeſtinus Piſtoris, conſil. XXIX, volum. I. Quis verò pœnam tam immoderatam peccato veniâ digno imponendam ſibi perſuadeat?

Verùm enimverò, quamvis hæc ſententia, quam tuendam recipimus, omnibus veritatis numeris abſoluta videatur, multis adverſariis non caret, qui humanæ rationis & naturæ corruptæ

Digitized by Google

argumentis magis obtemperantes, quàm ex ſcripturis ſacris, & ſanctorum patrum & conciliorum lucubrationibus aſſumptis: Objectiones contrarias efformant reverà non contemnendas, ad quas continenti ſermone diluendas animum appulimus.

I. OBJECTIO.

NON poſſunt illi actus humani, pravi & mali exiſtimari, aut contumeliâ peccati lethalis inquinari, ex quorum fine nulla malitia aut labes exſurgere poteſt, qui inſuper de ſe non ſunt mali, ſed ex ſpecie propriâ ad malum aut bonum æquilibres & indifferentes, ut loquitur ſanctus Thomas, habitâ ratione finis ad quem ſpectant, aut referuntur.

Digitized by Google

Atquì oſcula, tactus & aſpectus pudendarum partium mulieris, naturæ verecundiâ abſconditarum, omni conſenſione propriæ voluntatis remotâ ad capiendam voluptatem veneream primi ordinis, ceû ex perfecto coïtu reſilientem, ſunt actus indifferentes, ceû nec boni, nec mali ex ſe, nec ex fine ad quem ſpectant, ulla labe poſſunt expleri, cùm ſint ſimplices ſenſuum delectationes voluptuariæ, & ſecundi ordinis.

Ergo ejuſmodi tactus, amplexus & oſcula mulierum, & aſpectus partium naturæ pudore occultarum, non ſunt peccata mortalia.

Digitized by Google

RESPONSIO.

HUjusce argumenti major & prima propoſitio vera eſt, & extra omnem dubitandi aleam poſita. Secùs enim medici & chirurgi, qui ſuæ artis neceſſitate cohibere ſe non poſſunt ab ejuſmodi tactibus & aſpectibus rerum abſconditarum ſexûs fœminei, utcumque datâ occaſione peccata mortalia committere cogerentur. Quin ètiam eodem genere labis & contumeliæ inquinarentur ii, qui nullo mentis humanæ conſilio, ſed caſûs & fortunæ temeritate nudas in balneis publicis raptìm & confeſtìm vident, & qui ſibi neceſſitudine conjunctas, itinere facto aut faciendo, honeſtâ caſtâque ſalutandi formâ oſculantur.

Sed hujuſce argumenti tam

falſa eſt minor & ſecunda propoſitio, quàm prima & major vera eſt. 1°. Nam ab eo tempore quo in pœnam peccati injecta eſt hominibus cupiditas, & venerea voluptas, omnibus ſenſuum delectationibus voluptuariis interdictum eſt; quoniam ſtratæ de ſe viæ ſunt ad actum venereum, ceû voluptuarium ſeminis fluorem & liberum. 2°. Fieri non poſſunt ejuſmodi tactus & aſpectus voluptuarii, conſtanter permanente voluntate denegandi conſenſionem actui veneris perfecto, ceû miſcendi ſanguinis, & in unum conferendi cum muliere, ut exemplo Davidis ſuprà demonſtravimus: & Madianitarum, & experientiâ minimè fallaci, homines ejuſmodi tactibus & aſpectibus obnoxii faciliter intelligunt, & probè ſciunt ſe ca-

Digitized by Google

ſuros in voluntatem efficacem actûs venerei, adeóque in periculum proximum peccati mortalis. 3°. Quidquid causâ divini amoris non fit, titulo cupiditatis erumpat neceſſe eſt. Quis verò dixerit ejuſmodi tactûs voluptatis venereæ cauſâ, licet ſecundi ordinis, fieri propter Deum, & habitâ ratione charitatis divinæ? Igitur fateri opus eſt non recto fine efformari, adeóque peccata conſiſtere; quæ cùm in re gravi & materiâ levitatis & tenuitatis experte fiant, eſſe peccata mortalia non dubium eſt: *Ipſo non recto fine peccatum eſt*, inquit S. Auguſtinus.

II. OBJECTIO.

POSTQUAM ſanctus Paulus opera carnis enarravit cap. quinto ad Epheſios, interdixitque

nè nominetur in nobis fornicatio, aut omnis immunditia, aut avaritia, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas capto conſilio indigetandi actûs lethales, ceû peccata mortalia, quibus regno cælorum homines arcentur, turpitudinem & ſtultiloquium prætermiſit, quorum nomine tactus voluptuarii & obſcœna colloquia intelliguntur: *Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Ergo ſanctus Paulus iſtiuſmodi tactûs, oſcula & amplexûs venereos ſecundi ordinis inter peccata mortalia non recenſuit.

Digitized by Google

RESPONSIO.

NEUTIQUAM fateor eo loci ſanctum Paulum hac voce, *turpitudo*, αἰσχρότης ſignificare tactûs voluptuarios & venereos ſecundi ordinis: Quippè cùm primo capite epiſtolæ ad Romanos longè deteriora eodem ſermone expreſſerit, *maſculi in maſculos turpitudinem operantes.* Eodem uſus eſt ſanctus Joannes in Apocalypſi, ad ſignificandos inverecundos homines, qui per aſpreta nudi incedere non pertimeſcerent, cap. XVI. verſ. XV. *Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, nè nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.* Sed utcumque res ſit, illa omiſſio vocis *turpitudinis*, à ſancto Paulo recenſente peccata quibus homines ab hæreditate cælorum ar-

Digitized by Google

centur, nihil prorſùs probat; quippè cùm eodem loci omiſerit fures, molles, ebrioſos, maſculorum concubitores, maledicos, rapaces, quorum crimina ex eodem ſancto Paulo ad Corinthios, capite VI. verſ. X. non minùs à regno cælorum amoliuntur inquinatos: *Regnum Dei non poſſidebunt.* Sed multò congruentiùs eadem epiſtolâ primâ ad Corinthios, cap. VII. verſ. I. tactûs venereos ſignificare voluit Apoſtolus, ex quibus concludit ſanctus Hieronymus libro primo contra Jovinianum, pag. 21. ut ſuprà obſervavimus: *Si bonum eſt mulierem non tangere, malum ergo eſſe tangere, cùm nihil bono contrarium ſit niſi malum:* quod quidem habitâ ratione imminentis periculi, grave & mortale eſſe demonſtrat.

Digitized by Google

III. OBIECTIO.

SI voluptas ex tactibus & aſpectibus capta, ſegregata à voluptate actûs venerei conſummati, ceû coïtûs, finis malus eſt, ex quo bonus aut indifferens actus humanus erumpere non poteſt: manifeſtè conſequitur iſtiuſmodi tactûs & aſpectûs voluptuarios ſecundi ordinis eſſe intrinſecè & eſſentialiter malos, adeóque ſanctum Thomam XXII. quæſt. LIV. cæteroſque theologos exiſtimantes *ejuſmodi tactûs ſecundùm ſpeciem non eſſe lethales*. in ſpiſſum errorem eſſe prolapſos.

RESPONSIO.

MULTÙM diſtinguendi ac diſcernendi ſunt tactus & aſpectus, in quantum ſunt actus organorum

organorum in objecta propria, & à naturâ ſibi accommodata ab iiſdem actibus uſu perverſo naturæ delirantis ac peccato vitiatæ, cupiditatis, ac voluptatis venereæ dominationi ac tyrannidi mancipatis. Suis objectis applicata erant organa ſenſuum in ſtatu innocentiæ, eruntque in ſtatu gloriæ: ſed venereâ voluptate prorſùs extinctâ, & in nihilum redactâ. At verò cùm ejuſmodi organa ad ſua objecta cohærent applicatâ mente & voluntate ſibi procurandæ voluptatis venereæ, & delectationis per ſe ad coïtum naturæ corruptæ vi tenſili ſpectantis; conſtituitur regnum cupiditatis, perimitur charitas Chriſti, quem qui non diligit, manet in morte. Sanctus Thomas eâdem quæſtione LIV. ejuſmodi tactûs impudicos & pro-

Digitized by Google

broſos ex fine voluptuario erumpentes docet eſſe effectûs criminoſos cupiditatis carnalis.

Nemo accuratiùs diſtinxit organorum & ſenſuum objecta ab ipſo fine. Finem ſpectat vitiata voluntas, aut bona: objectum verò intra ſphæram naturalis organi conſiſtit, bonitatis & malitiæ prorſùs expers: cùm è contrà finis nonniſi bonus, aut malus, aut indifferens, applicatam voluntatem reddat bonam, malam aut indifferentem. Tactus igitur & aſpectus, habitâ ratione objectorum, nec boni, nec mali ſunt; ratione verò finis voluptuarii & venerei à voluntate ſelecti, & propoſiti, mali fiunt & lethales, ad mortem & perniciem animæ deſtinati.

Digitized by Google

IV. OBJECTIO.

FORNICATIO ideò mala eſt, quia adverſatur bonæ prolis educationi; quod quidem in tactibus & aſpectibus venereis & obſcœnioribus non incurrit: adeòque mali & lethales non debent reputari.

RESPONSIO.

NON ideò ſolùm fornicatio mala eſt, quia adverſatur bonæ prolis educationi, ſed quia eſt opus cupiditatis, quod æquabiliter convenit tactibus voluptuariis & fornicationi. Secùs, pedicatio & mollities non eſſent peccata mortalia, quod horribile dictu eſt, quia non adverſantur magis bonæ prolis educationi, quàm tactus & aſpectus venerei. At verò cùm ejuſmodi tactus

Digitized by Google

ſpectent finem ceû voluptatem veneream ex eis erumpentem, & ad ſpeciem luxuriæ debeant revocari, in cujus genere neutiquàm eſt levitas materiæ; neceſſe eſt ut inter peccata gravia & mortalia recenſeantur.

V. OBJECTIO.

HOc effatum theologicum non poteſt concorditer admitti, ſcilicet in genere luxuriæ nullam eſſe levitatem materiæ. Quamvis enim dubium non ſit quin voluptas ex tactibus & aſpectibus capta, ſpectet per ſe fornicationem; reverà adeò tenuis eſt ex iis reſiliens delectatio, ſi cum voluptate fornicationis comparetur, ut ferè nihil eſſe videatur: adeòque manifeſtè conſequitur, in his tactibus & aſpectibus rationem tantùm pec-

Digitized by Google

cati levis occurrere, adeóque veniâ digni.

RESPONSIO.

REVERA voluptas ex his tactibus reſiliens longè inferior & tenuior eſt delectâtione ex actu coïtûs venerei erumpente; ſed cùm propiùs accedant ad ipſum coïtum, quàm cogitatio moroſa omnium theologorum concordi ſuffragio criminoſa & mortalis; neceſſe eſt ejuſmodi tactûs exiſtimari culpas lethales. Inſuper experientiâ conſtat animi motûs violentos & inſolentes ejuſmodi tactibus in corpore excitari, immoderatè diffuſâ multitudine & abundantiâ ſpirituum vitalium ad partes genitales confluentium, & caſtitatem ad extremas anguſtias redigentium. Adeóque videtur prorſùs

Digitized by Google

incredibile & improbabile in tantâ mentis humanæ faſcinatione, & virtutis tempeſtate, levitatem materiæ reperiri, habitâ ratione potiſſimùm imminentis & urgentis periculi, in quod ſæpe leviores tactus & aſpectus homines viroſque fortiores adducere ſolent.

VI. OBJECTIO.

INCREDIBILE eſt ſanctos viros ſibi perſuaſiſſe tactûs & aſpectûs voluptuarios ſecundi ordinis eſſe peccata mortalia; qui freti revelatione divinâ ad experimentum & probationem certam ſuæ caſtitatis, crediderunt ſibi licitum eſſe, & aliquando opportunum, ejuſmodi tactibus piè ac religioſè uti. Hoc perſpectum habemus ex collatione XV Caſſiani, capite decimo, cui hic

Digitized by Google

titulus inſcriptus eſt : *Revelatio de perfectæ caſtitatis experimento*, in quo Paphnucius abbas conceptis verbis refert ſibi allocutum eſſe angelum. *Vade & apprehende nudam & pulcherrimam virginem ; & ſi illam tenens tranquillitatem tui cordis immobilem, æſtuſque carnales pacificos in te ſenſeris perduraſſe, hujus quoque viſibilis flammæ mitis atque innoxius, in modum illorum trium puerorum in Babiloniâ, te allambet attactus.*

RESPONSIO.

ABSIT ut quis ſibi perſuadeat Paphnucium à Deo per angelum mandatum habuiſſe apprehendendi nudam & pulcherrimam virginem, ad probationem & experimentum faciendum ſuæ caſtitatis. Immò verò Angelus

Digitized by Google

nihil præcepit, ſed propoſitionem conditionalem ceû hypotheticam elocutus eſt, in quâ, inverſo verborum ordine, naturaliter exſurgit figura, quæ ſenſum prorſùs alienum verbis, deditâ operâ, conceptis & diſpoſitis inducit. Ea igitur, *Vade & apprehende*, intelligi debent, quaſi dixerit angelus ex hypotheſi, quod vadas & apprehendas virginem nudam, & illam tenens, tranquillitatem tui cordis immobilem, æſtuſque cordis pacificos ſenſeris, &c: Tum verò ſenſus erit, additâ particulâ *ſi*, quod ſi nudam virginem apprehenderet, ſeque carnis commotum ſtimulis non ſentiret, caſtitatem ſe habere ſibi perſuadere poſſet. Sed hoc longè alieniſſimum eſt à mandato & præcepto divino apprehendendæ virginis, ad expe-

rimentum caſtitatis. Porrò ità ſe rem habere, & hunc eſſe Caſſiani ſenſum faciliter perſpectum habemus ex continenti ſermone hujus collationis: ex quâ intelligimus Paphnucium hac revelatione percitum ab ejuſmodi experimento ſe benè ac ſapienter cohibuiſſe, illudque inſtinctu divino repudiaſſe. *Itaque ſenex ex hujuſmodi revelatione perculſus, non quidem experimenti divinitùs demonſtrati pericula conſuluit, ſed interrogans conſcientiam ſuam, & puritatem cordis examinans, nec adhuc pondus caſtimoniæ ſuæ hujus probationis pondere compenſare conjectans.* Non mirum eſt, *ait*, ſi cedentibus mihi immundorum ſpirituum præliis, aduſtiones ignis, quas diriſſimis congreſſibus dæmonum inferiores eſſe credebam, adhuc adverſùm me ſenſerim ſævientes.

Conſtat igitur non alium eſſe ſenſum hujuſce propoſitionis ; *Vade, & apprehende*, quàm his verbis expreſſum, *Si vadis & apprehendis*; *&c.* Si cui diceretur, Nummos & divitias undique congere, & corroga per fas & nefas ; ſi te feliciorem & beatiorem eſſe non ſentias, perſuade tibi non in divitiis poſitam eſſe felicitatem vitæ humanæ. Ejuſmodi locutio non eſſet præceptum congerendi divitias, ſed propoſitio conditionalis figuratè expreſſa, è contrà prohibens nè corrogarentur divitiæ. Item, ſi cui diceretur : Apprehende manu ferrum candens; ſi non combuſſerit te, ſenſu carere, aut ſenſûs tuos penitùs obduruiſſe & occaluiſſe ſcias. Non eſſet præceptum aut conſilium contrectandi manu propriâ ferri candentis, ſed potiùs prohibitio.

Digitized by Google

Mens igitur Caſſiani fuit, exemplo Paphnucii, tactûs illicitos frænare & cohibere; neutiquàm verò præcipere, nec aliud ſibi vult collatione undevigeſimâ, cap. XVI. pag. 714. dum ait: *Cùm ergo perfectiſſimâ quis virtute fundatus ad illecebram blandientium cogitationum nullum mentis aſſenſum, nullam carnis commotionem ipſe deprehenderit excitari, certiſſima pietatis ſuæ capiet documenta; ita ut ad hanc ſe firmitatem puritatis exercens, caſtitatis atque incorruptionis bonum non ſolùm mente poſſideat, ſed etiam ſi corporalem fœminæ attactum cauſa cujuſcumque, ut ſolet neceſſitas, attulerit, penitùs ſenſum paſſionis ignoret.*

Digitized by Google

VII. OBIECTIO.

QUIDAM viri ſanctiſſimi uſûs exercitationeſque pias habuerunt, in quibus aſpectûs contactûſque evitare aut effugere non potuerunt. Inter cæteros ſanctus Edmundus archiepiſcopus Cantuarienſis, qui decimoquarto ſæculo Eccleſiæ floruit, puellam quandam ſuis veſtibus & integumentis denudavit Pariſiis, eamque fervore devotionis & pietatis cauſâ ſcuticis diverberavit, ut ſtimulos carnis compeſceret, quibus eum injectis lenociniis & illecebris laceſcere tentaverat, uti refert Robertus de Natalibus epiſcopus Equilinus in vitâ ſancti Edmundi, folio 181. gothicis typis impreſſâ. Olim, ceû mediâ ætate Eccleſiæ, coram pœnitentiæ præfectis, nudatis hu-

Digitized by Google

meris mulieres non ſecùs ac homines vapulabant, uti conſtat ex hiſtoriâ flagellantium: quod quidem exercitationis genus abſque pudore fieri potuiſſe facilè non intelligitur. Ætate Petri de Honeſtis Damiani dicti, monachi Cluniacenſes, depoſito communi ſago, nudatis femoribus, in oculis multitudinis fratrum ſeſe invicem flagellabant. Eos hortatur Petrus Damiani epiſtolâ deditâ operâ in hanc rem conſcriptâ, ut Chriſti amore fervidi, omni pudore relicto, & omni abdicatâ verecundiâ, flagellationem Chriſti imitatione conſequantur.

RESPONSIO.

1°. ROBERTUS de Natalibus non fuit ex iis auctoribus qui in ſcribendâ hiſtoriâ nihil

Digitized by Google

veri dicere timeant, nihilque falſi dicere audeant; ſed ex iis potiùs qui vitas ſanctorum deteriùs ſcripſerunt, quàm Plutarchus ducum Græcorum & Romanorum, ut inquit Melchior Canus epiſcopus Canarienſis. Plures alii vitam ſancti Edmundi ſcripſerunt, apud quos hujùſce flagellationis nulla mentio occurrit; quæ utcumque ſi vera ſit, junioris hominis inconſiderata & incredibilis eſt inſulſitas turgidæ inchoationi pietatis non prorſùs inſociabilis antequàm adoleverit ſanctitas, & ad perfectionis gradûs eminentiores pervenerit.

2°. Quod ſpectat exercitationem plagoſam præfectorum pœnitentiæ, quorum in oculis vapulabant pœnitentes mulieres, uſus eſt flagrorum perverſus & inſolens, nunquàm generaliter ab

Digitized by Google

Eccleſiâ catholicâ receptus auctoritate pontificum, octingentis ab hinc annis abrogatus, ut ex hiſtoriâ flagellantium intelligere facile eſt, & veræ pœnitentiæ cultoribus abominandus.

3° De cætero monachorum Cluniacenſium aſceſis, quâ duris ſcuticis ſibi corium dilacerabant, & ſpoliati veſtibus & tunicis à capite ad calcem, omni pudore abdicato, in oculis multitudinis fratrum ſibi ſcapulas, femora ſuraſque ſtriare non deſiſtebant; ad quam eos amplificatâ epiſtolâ adhortatur Petrus de Honeſtis: res honeſta videri nemini homini poterit, qui de poteſtate mentis non exceſſerit. Fuit igitur opinio ſingularis hujus ſancti Cardinalis, qui non omnia proſpexit animo tam plagoſi uſus & inſociabilis incommoda, quæ ipſâ ſuâ

Digitized by Google

ætate non valuit ; ſed Petri Cerebroſi, ſancti Brunonis & Guigonis, Ordinis Carthuſiani patrum concurſationibus & contentionibus fracta remanſit. Conſtat igitur planiſſimè nullo ſanctorum hominum & virorum exemplo, etiam ſub ſpecie pietatis & ſeverioris diſciplinæ, tactûs aut aſpectûs earum partium, quas iræ Dei obtemperans natura occulit, confirmari ac defendi poſſe.

Petrus Abaïlardus epiſtolâ primâ, pag. 11. narrat primos amoris igniculos, quibus ſuam Eloïſſam deperiit, ex verberibus & diſciplinis erupiſſe, quibus hanc puellam conſtringebat, quam principiis non obſtans, malis per longas moras invaleſcentibus, continenti tempore vitiavit. *Qui cùm* (ſcilicet Fulbertus avunculus, canonicus Pariſienſis) *eam mihi*

non

non ſolùm docendam, verùm etiam conſtringendam traderet, quid aliud agebat, quàm ut votis meis licentiam penitùs daret, occaſionem etiam ſi nollemus, offerret; & quam videlicet blanditiis non poſſem, minis & verberibus faciliùs flecterem.

VIII. OBJECTIO.

PLURES tamen doctores ad eam ſententiam, ſuam aggregaſſe mentem non poſſumus inficiari. Citare ſolent in ejus patrocinium, qui eam tuendam receperunt, 1°. Martinum de Magiſtris doctorem theologum Pariſienſem, Ludovico XI Francorum regi à confeſſionibus, collegii ſanctæ Barbaræ in Univerſitate Pariſienſi moderatorem; libro *de temperantiâ*, fol. 63. edit. Pariſienſ. Volphangi Hopil. die

Digitized by Google

decimâ Octobris anni M. CCCC. XC. factæ curâ & ſtudio Ægidii *d'Elſi* domûs Sorbonicæ prioris, in quo hæc verba leguntur conclusione tertiâ: *Oſcula, tactus & amplexus ſecundo modo libidinoſa, hoc eſt, quia ſunt cauſa delectationis tactus quam in ipſo experiuntur, non ſunt peccata mortalia.* Et infrà continenti ſermone, folio 65. *Nec oſculum, nec delectatio in oſculo præcisè propter delectationem factum, eſt peccatum mortale.*

2°. Gabriëlem Biel ſacræ theologiæ profeſſorem in Academiâ Tubengenſi, qui obiit anno quinto poſt publicationem libri Martini de Magiſtris, ſcilicet anno M. CCCC. XCV. lectione LXXIV. in canonem miſſæ, fol. 179. verſ. columnn. interior. edit. Lugdunenſ. Joannis Creſpin, anni M. D. XXIV.

Digitized by Google

Verùm duplicia ſunt venialia : quædam enim diſponunt de propinquo ad mortale , & quædam à remotis. A remotis , ut verbum otioſum ; levitas , riſus , aſpectus , vel auditus curioſus novitatum , & ſimilia. De propinquo , vel ratione multitudinis , vel dum aſſiduè ſine numero hæc committuntur , vel ratione magnitudinis , ut ſunt aliqua mendacia multùm ſcandaliſantia, & aliquæ detractationes ; vel ratione connexionis cum mortali , ſicut colloquia impudica , viſus fixus in mulierem , tactus impudici , & oſcula hujuſmodi. Sicut ergo aliquis videns alium incedentem per vicum , credens quod in eo ſtatim incideret in periculum mortis : peccaret , niſi retraheret eum. Ità poteſt aliquis peccare mortaliter ; niſi corrigat fratrem de hujuſmodi venialibus : non quia venialia , ſed in quantum ad

Digitized by Google

mortalia inducunt. In aliis verò venialibus, corripere delinquentem (quamvis ſit charitati, quæ inde ſperatur utilitas) non tamen omittere illud ex negligentiâ, eſt mortale: Hæc Umbertus in expoſitione regulæ ſanƈti Auguſtini.

Ad hos aggregare ſolent Chryſoſtomum Javellum Ordinis ſancti Dominici, qui obiit anno M. D. XXX. ex libro *Philoſophiæ chriſtianæ*, parte ſecundâ, tractatu VII, *de chriſtianâ temperantiâ*, § *de pudicitiâ*. num. v. pag. 471. & tertiâ parte, tractatu VIII. *de luxuriâ*, capite II. num. VII. pag. 530. columnâ exteriori.

RESPONSIO.

NEMO negat pleroſque auctores, ac præſertìm recentiores, in eam iviſſe ſenten-

Digitized by Google

tiam; ſed cùm pondere & auctoritate careat, niſi ſit firmiſſimis & ſolidis rationibus confirmata, prorſùs verò noſtris argumentis enervata, & confracta ſolutionibus objectorum videatur, & in ventos receſſura, jure meritò dicere poſſumus ejuſmodi ſcriptores perperàm laboraſſe, & fruſtrà cerebrum ſuum diſtillaſſe ad inveniendam commiſſuram ſcholaſticam, qua tactus, amplexus & aſpectus venerei & voluptuarii ſecundi ordinis veniâ digni, & minimè lethales reputarentur. Mirabiliter fatentur omnes his omnibus ſalutem hominum in horribile ac pertimeſcendum diſcrimen adduci. Ad hanc veritatem Martinus de Magiſtris deditâ operâ confirmandam concluſionem aſſumpſit. Suam eſſe ſententiam Gabriel Biel dicere non

Digitized by Google

auſus, in eam adduxit commentarium Umberti præfecti generalis Dominicanorum, in regulam ſancti Auguſtini, anni M. CC. LII. ex cujus epiſtolâ XXIX. ad omnes ſui Ordinis fratres ſcriptâ, de tribus votis quæ ſolâ cogitatione poſſunt à religione ſeparari, intelligimus ejuſmodi tactûs & aſpectûs venereos pernicioſos & horribiles exiſtimaſſe, auctores verò ejuſmodi opinionis patronos lumine captos & cupiditate faſcinatos reputaſſe. *Si ergo ſecundùm dictum apoſtolicum, bonum eſt mulierem non tangere, nequaquàm illam expedit oſculari. Concupiſcentia tamen quoſdam falsò ſic decipit & excæcat, ut dicant talia licere.* Capite quod anteceſſit, magis conceptis verbis mentem exprimit: *Cavendi ſunt*, inquit, *præterea contactus, non ſolùm laſciva-*

rum, ſed etiam bonarum fœminarum: Quamvis enim bona ſit terra, bona quoque ſit pluvia, tamen ex illorum commixtione lutum efficitur. Eodem modo, licet bona ſit manus viri, & bona manus fœminæ, ex contactu tamen illarum nonnunquam lutoſa cogitatio vel affectio generatur. Etenim picem ſi quis tetigerit, manum utique ſordidabit. Quis autem ſtultus credit ſe manum in ignem mittere, & incendium non ſentire? Incredibile eſt virum doctum & pium, de peccato levi & veniâ digno paratragœdiare voluiſſe. Cæterùm Chryſoſtomus Javellus tactûs eſſe non lethales inter conjugatos tantùm reputavit, neutiquàm verò inter eos qui vinculo matrimonii ſoluti ſunt. Lege II. parte philoſophiæ chriſtianæ, tract. VII. *de chriſtianâ temperantiâ, de pudicitiâ*, pag. 471. num. VI. in

Digitized by Google

columnn. exteriori. *Dixit oſcula & amplexûs, & tactûs partium honeſtarum; quoniam ſi hujuſmodi fiant in partibus pudibundis, & cum non ſuâ, neſcio videre quìn intepretativè & virtualiter ordinentur ad actum turpem illicitæ veneris: licet quàm plures ſeipſos excuſent, non ſic intendere; nam ſi tuti eſſent ab infamiâ, excuſatio falſa appareret, & poſito quod ſic in principio non intenderent tamen dicto illaqueantur.*

IX. OBJECTIO.

AT verò quî fieri poteſt, ut tantulum ſit in voluptate carnis malum, cùm ſolers & provida rerum naturâ, Deo duce & aſpirante, ut marem & fœminam ad generis propagationem invitaret, & nè univerſum genus intercideret, conducibilem libidi-

Digitized by Google

nem, quaſi ſtimulum ex ſeminis ardore inſeverit, & partibus obſcœnis illecebras, & admirabile congreſſûs deſiderium, ut ſua ſemina in unum conferrent; alioquin prorſùs inutilia futura? Ità quippè loquuntur medici cum ſancto Baſilio magno Cæſareæ Cappadociæ archiepiſcopo, libro *de verâ virginitate*, tomo 1. pag. 708. lit. D Ταύτην δὲ τὴν δυναστείαν κατὰ τοῦ κρατοῦντος τῷ τοῦ θήλεος γένει ὁ δημιουργὸς χαριζόμενος, καὶ αὐτὴν τὴν τοῦ σώματος πλάσιν τε καὶ ἰδέαν τοῦ θήλεος, μαλακωτέραν εἰργάσατο, ἵνα καὶ ἁφῇ, καὶ βλέμματι, καὶ κινήματι, καὶ τῇ τῶν μελῶν συνόλως ἁβρότητι, καὶ ὁρῶν καὶ ὁρώμενον, μάλαγμα ἡδονῆς ᾖ τῷ ἄρρενι· κατὰ πᾶσαν αἰσθήσεως προσβολὴν πανταχόθεν προσαίπτον. *Creator largitus eſt hujuſmodi potentiam ſexui fæmineo adversùs dominatorem ſuum, ceû virum, ipſamque ſpeciem & effigiem*

corporis fœminæ molliorem effinxit, ut tactu, & aſpectu, & motu, & teneritudine, denique & agitatione membrorum; & inſpiciens, & aſpecta ſit maſculo voluptatis illecebra, quocumque ſe verteret, illius undique ſeſe ſenſibus ingerens.

RESPONSIO.

SANCTUM Baſilium in re mediceâ doctiſſimum, ità locutum eſſe nemo negat: ſed fateri neceſſe eſt ipſum neutiquàm ſibi perſuaſiſſe Deum eſſe expoſitæ cupiditatis conditionum auctorem, niſi in quantum ad honeſtum finem inter conjugatos referuntur, ceû legitimam & ſanctam liberorum procreationem. Quemadmodùm enim, auctore Deo, tellus ferax & fœcunda exceptum ſemen ſuo ca-

Digitized by Google

lore fovet, deinde excitat, & ad parturiendum impellit ſine motu voluptuario, ceû delectatione venereâ. Sic uterus fœcundus ingenitâ vi, quæ alteri nulli parti conceſſa eſt, ſopitam ſeminis vim, & deliteſcentem in eo poteſtatem excitat, & ad agendum exſtimulat, quæ quidem in actum erumpit, & excitatur uteri vi. Ea verò ipſa exſuſcitatio conceptio eſt, quâ fœtus efformaretur ſine venereâ voluptate, niſi vitiata natura peccato primorum parentum ei locum dediſſet, & à Deo tanquàm pœna patratæ culpæ impoſita fuiſſet, peccati miſerabilis fructus & fons jugis & inexhauſtus. Ità ſenſiſſe ſanctum Baſilium non dubitandum eſt, integro libro *de virginitate*, adeóque pravos & noxios exiſtimaſſe omnes effectûs cupi-

Digitized by Google

ditatis, tactûs & aſpectûs partium obſcœnarum voluptatis cauſâ erumpentes extra legitimum matrimonium. Id verò intelligere perfacile eſt ex pag. 759. in qua periculum explicat quod ejuſmodi tactibus & aſpectibus incurritur. Obſervat vi deſiderii congreſſûs corporis humani cum muliebri, ceû libidine & cupiditate, omnes mentis & rationis vires non ſolùm molliri, verùm etiam diſturbari, adeóque omnem innocentis vitæ rationem deſtrui & evelli. ὁλκὸς γὰρ φημὶ ἡ ἐντεθεῖσα φίλτρου τοῖς τῶν ἀρρένων σώμασι πρὸς τὰ θήλεα δύναμις πάντων ἀλογήσασα κρίσεων. *Eſt enim gravis & vehementer inſita maſculinis corporibus adverſùm fœminas flagrantis concupiſcentiæ vis, omnia judicia mentis evertit.* Et infrà continenter, eadem paginâ: οὕτως οὐκ ἀθωωθήσεται πᾶς ὁ

Digitized by Google

ἁπτόμενος γυναικός. *Non erit innocens qui mulierem tetigerit.* Hanc verò rationem affert: ἢ περιπατήσει τις ἐπ' ἀνθράκων πυρὸς, τοὺς δὲ πόδας οὐ κατακαύσει. *Ambulabit quis ſuprà prunas, & pedes non comburentur?* Et 752. ὅτι γάμος αὐτῷ εἰς τὸ ἁμάρτημα λογισθήσεται. πρῶτον μὲν, ὅτι κακὴν κρηπῖδα τῆς συμπλοκῆς τὴν ἡδονὴν καὶ τὴν τῆς παραβάσεως ἁμαρτίαν ἑαυτοῦ κατεβάλλετο. *Conjugium quippè illi in peccatum reputabitur. Primum quidem, quia peſſimum conjunctionis hujus fundamentum voluptatem fecit.* Quis verò jam ſibi perſuadeat ſanctum Baſilium, non magnum in voluptate malum inveniſſe, & tactûs aut aſpectûs voluptuarios ex libidine & cupiditate erumpentes, extra matrimonium, graves aut lethales non reputaſſe?

X. OBJECTIO.

HUjusce disquiſitionis ratio nos vetat prætermittere Franciſcum Sylvium Academiæ Duacenſis proximè elapſo ſæculo celeberrimum profeſſorem. At verò poſtquàm conſtituit tactûs & conſpectûs voluptuarios, quos venereos & libidinoſos appellat, eſſe peccata mortalia, quippè cùm objectum & finem habeant oblectationem ceû voluptatem ex obſcœno coïtu naturaliter erumpentem, aut ex illecebris quæ cerebrum imaginoſum occupant ſub paropide voluntatis efficacis repudiandæ ejuſmodi voluptatis, defendit duplicis generis exiſtere voluptatem; quâ quidem oſcula & contrectationes partium obſcœnarum, hominum mulieroſorum

explent animum.

Prima ſpecies purè atque integrè circà ſenſûs verſatur, totaque in oblectatione caſtâ conſiſtit, quæ ex proportione & conformatione reſilit, ceû reciprocatione organi ſenſûs & objecti, ſcilicet, oculi & coloris, tactûs & carnis mollis ac teneræ, guſtûs & ſaporis. *Ità, verbi gratiâ*, inquit Sylvius, *ut illa voluptas nihil aliud ſit, quàm oblectatio de re blandâ levi, molli & tenerâ quæ contingitur, aut pulchra quæ videtur abſque ullâ cujuſcumque rei turpis delectatione.*

Altera verò, inſtar primæ, circa ſenſûs verſatur integrè; ſed quamvis ex voluntate fornicationis, ceû rei habendæ cum muliere, non erumpat, aut voluptatis imaginoſum cerebrum conſcribillantis, *Habet tamen conjunctam carnis ac Spirituum genera-*

Digitized by Google

tioni inſervientium commotionem.

Primi generis aſpectûs & tactûs non poſſe lethales reputari tuetur Sylvius, probatque, *quia non videtur eſſe libido venerea, quando in actu ſecundùm ſpeciem ſuam non libidinoſo abeſt omnis cogitatio & intentio, etiam implicita & interpretativa voluptatis venereæ*; defenditque nervoſè in ejuſmodi tactibus primi generis nullam inveniri delectationem præter erumpentem ex viſu rei pulchræ & tactu rei blandæ, mollis & teneræ, carnis ſcilicet teretis vultúſque plenioris. Poſtquàm Sylvius hæc omnia retulit in ſecundam Secundæ ſancti Thomæ quæſt. CLIV, art. IV, concluſione IV, pag. 872. in opinionis tuendæ confirmationem prodidit Jacobum de Graffiis, parte I, cap. LXXV, num. XI. Joannem Azorium

rium Jeſuitam, parte III, lib. III, cap. XXV. Filiucium alterum Jeſuitam, tract. III, cap. IX, num. CLXXXVIII, & num. CLXXV. Sanchez, diſput. XLVI. num. VI. & plures alios non ignobiles rerum moralium ſcriptores.

RESPONSIO.

SYLVIUS & reliqui auctores, quos prodidit ſuæ opinioni propitios, tactûs ſpectant & aſpectûs in hypotheſi rarâ, inſolenti & metaphyſicâ, qui vix ſemel aut nunquam accidunt: quos hujuſce diſquiſitionis initio indigitavimus, & quæſtionem quam tractamus nihil attinere obſervavimus, præſertìm ab eo tempore quo cupiditas ad inſtigationem & pœnam peccati hominibus impoſita eſt; quæ qui-

Digitized by Google

dem quæſtio dumtaxat devolvitur ad tactûs & aſpectûs voluptuarios de ſe obſcœnos & impudicos, utcumque relictâ & poſtpoſitâ voluntate, immò & ſuggillatâ in unum miſcendi ſanguinis, ceû rei habendæ cum muliere, aut mentem explendi jucundiſſimâ voluptate ex cogitatione venereâ & imaginibus cerebro impreſſis propagatâ. Id verò adeò conſtans & perſpectum eſt, ut ipſemet Sylvius affirmare non pertimeſcat eadem quæſt. CLIV, art. IV, concluſione VIII, pag. 875, omnes tactûs & aſpectûs de ſe impudicos & obſcœnos eſſe lethales, ac contumeliâ peccati carere ſolummodò honeſtiores, *quibus non ſubeſt periculum venereæ delectationis*. Enimverò continenti ſermone diſquiſitione factâ de aſpectibus qui de ſe impudici

Digitized by Google

poſſunt reputari, ait, Quod ſi deliberatâ voluntate, & abſque urgenti neceſſitate, vir fœminæ, aut fœmina viri pudenda vel partes ei vicinas aſpiciat, etiamſi non ex libidine, ſed ex curioſitate vel ſtultâ *mortificatione* fieret, aſpectus cenſendus eſt eſſe impudicus, & peccatum mortale, tum quòd honeſtati naturali multùm adverſetur, tum quòd ſit urgentiſſimus ſtimulus ad libidinem, contineatque proximum luxuriæ periculum, quemadmodùm Davidis lapſus, II. Regum, cap. XI.

Sylvius conclus. 8. art. 4. quæſt. 154.

Quis enim ex his luce meridianâ clariùs non intelligat mentem Sylvii alieniorem fuiſſe ab opinamentis theiologaſtrorum, qui ſibi perſuadent poſſe abſque periculo proximo interimendæ caſtitatis & pudicitiæ, nec malâ nec perverſâ voluntate conſpici

mulieris partes magis reconditas, ac ſine peccato mortali contrectari?

At verò inſtant Sylvium continenter recognoſcere eadem conclusione, dummodò nullum interſit periculum nimiæ commotionis ſpirituum ſalacium, aut voluptatis venereæ, uti reverà accidere poteſt habitâ ratione puerilis ætatis, aut ſenilis, adultæ, vel frigidioris temperamenti veneris prægustatoribus, ejuſmodi tactûs ſordibus peccati mortalis non inquinari.

Sed reſpondere facile eſt, utcumque res ſit, neutiquàm ejuſmodi cogitationes apud Sylvium incurrere; & eum reverà dixiſſe non poſſumus diffiteri, Sancheſium & Bonacinam probabiliter tuendam recepiſſe ſententiam eorum, qui ejuſmodi tactûs & aſ-

pectûs ab omni peccati mortalis maculâ liberos ac terſos defendunt. *Cæterùm*, inquit, *in prædicto turpi aſpectu causâ curioſitatis facto quidam hanc limitationem apponunt, niſi tam breviter fieret, ut non eſſet occaſio magnæ commotionis in corpore, vel niſi ratione ætatis plenè puerilis aut ſenilis, aut frigidiſſimæ complexionis abeſſet in aſpiciente omne periculum carnalis ſive commotionis ſive delectationis; his enim poſitis, aſpectum tametſi ex ſe turpem, non eſſe mortalem probabiliter tradunt Sanchez & Bonacinas.*

Quis verò ex his non intelligat factum tantummodò referri, ſcilicet Sanchez & Bonacinam hanc ſententiam *probabiliter* defendiſſe; ipſum verò Sylvium tactûs & aſpectûs, non ex libidine, ſed ex curioſitate & ſtultâ *mortificatione* factos, eſſe peccata mor-

Digitized by Google

talia, quamvis eorum finis honeſtus videatur, & voluptas ſecundi ordinis ex iis exſurgat, ſartâ tectáque manente voluntate efficaci repudiandæ voluptatis quæ ex obſcœno coïtu aut commotione ſpirituum ad partes generationi conducibiles confluentium, aut ex ſpecie & cogitatione percipi poſſet.

XI. *OBIECTIO.*

QUA ratione & intelligentiâ comprehendi poteſt peccatum mortale committi ab homine mente & voluntate non malâ, conſenſu non perverſo nec iniquo, omni diſcrimine proximo ceû periculo imminenti peccati poſtpoſito? Hæc verò in aſpectibus & tactibus, ex quibus voluptas ſenſualis ſecundi ordinis erumpit, reperiuntur. Quis ergo dubitandi locus relin-

Digitized by Google

quitur quìn ejuſmodi actus ſint ab omni peccati mortalis contumeliâ liberi & immunes?

RESPONSIO.

REVERA dubium remanere nullum poteſt de immunitate ejuſmodi actuum à contumeliâ peccati mortalis, ſi nec malâ voluntate (*intentionem* theologi vocant) aut perverſo conſenſu, & extra omne periculum & diſcrimen imminens & proximum peccati fierent. Sed cùm ab eo tempore quo lapſu primi parentis peccatum intravit in mundum, voluptas ſenſûs evaſerit pœna & inſtigatio peccati, & ſtimulus carnis nuncupata ſit & libidinis inſtrumentum: ejuſmodi tactus intelligi non poſſunt habere finem honeſtum, ſed perverſum, adeóque nec voluntate bonâ, nec conſenſu recto fieri ra-

Digitized by Google

tione aut intelligentiâ humanâ comprehendi possunt. Nec minùs ſupervacaneum eſt ejuſmodi actûs, tactûs & aſpectûs obſcœnos extra periculum proximum lapſûs lethalis vindicare: quippè cùm ejuſmodi ſordibus obnoxii homines probè ac ſincerè ſciant & recognoſcant ſe ſemper aut ſæpè ſaltem habuiſſe voluntatem efficacem ulteriùs progrediendi, adeóque certum ſit voluptati venereæ primi ordinis gradatìm ac cochleatìm homines mancipari, tacitè & obſcurè deliciis rerum creatarum immergi, facem divini amoris in eorum cordibus extingui, mentem denique omnem atque induſtriam, agglomeratis pectinatìm voluptatibus primi & ſecundi ordinis faſcinari.

FINIS.

COLLO-

Digitized by Google

COLLOQUIUM CRITICUM

DE

SPHALMATIS VIRORUM in re literariâ illuſtrium.

THEODORUS & ARISTARCHUS.

THEODORUS.

EGo verò, optime Ariſtarche, quem te libentiùs audierim? Quid enim agam potius, aut in quo meliùs hunc conſumam diem,

Digitized by Google

quàm in poſtulandis à te argumentis, ex quibus intelligam quod ſæpè mihi perſuadere ſtuduiſti, viros magnos in re literariâ & illuſtres magnis erroribus fuiſſe obnoxios, multiſque & incredibilibus ſphalmatis laboraſſe?

ARISTARCHUS.

Reverà tuis votis non abnuam libenter, Theodore amiciſſime, ſiquidem eccam bibliothecam vides ampliſſimam, tantiſper mecum ſcrutari velis, ac ſelèctos aperire libros. Eorum enim ope non dubitabis ampliùs quìn verum ſit docti & ingenioſi noſtratis amici dictum; ſcilicet bibliothecas eſſe magnas ſpectrorum humanæ mentis officinas: immò verò dicere non pertimeſcam errorum infinitorum mare

magnum & oceanum. Neminem enim hominem exiſtere puto, quìn ad hanc ſententiam mentem aggreget, ſi ſanam & quieſcentem habeat, tot incurrentibus repugnantiis inter placita philoſophorum, narrationes hiſtoricorum, aphoriſmata medicorum, ſubtilitates theologorum, numeros mathematicorum, juriſconſultorum leges, quibus hæc volumina involvuntur. Sed his poſtpoſitis, quæ viſcera & partes intimas rei literariæ penetrant, non difficiliter oſtendam ejuſmodi reipublicæ cives ignorare jura civitatis quam incolunt, & ſponſionum ſuarum malè fidos eſſe vades, qui cùm variis affectibus laborent, tenebris cordis animum offundunt, & cùm aliis errorem eripere velint, mendacibus viſis mortalium mentes conci-

tant, & falſis imaginibus ludificant.

THEODORUS.

Illam opinionem ultrà quàm ſatis eſt ſemper ſecutus ſum; quamvis ad eruditionem tuam inſcitia mea nunquam acceſſerit, & immenſæ atque interminatæ in omnes partes ſtudiorum magnitudini, meæ imbecillitatis conſcius, certos fines eſſe conſtituendos exiſtimaverim. Enimverò ultrà libros theologicos & eccleſiaſticos numquam progreſſus ſum. Attamen tot hallucinationes & hæſitationes ſcriptorum oculis meis ſeſe objecerunt, exſurgentes ex auctorum negligentiâ, tenuitate ſtudiorum, affectibus cordium, contumaciâ & ſtudio partium quibus nomen dederunt, & exacerbatione amoris

Digitized by Google

quo famam nomen que proprium proſequuntur; ut in hac bibliothecâ, velut in arce ſcientiarum eſſe videar, ſed rimis undique dehiſcentibus parietinis, in quibus nihil aliud diſcendum ſit, quàm nihil nos ſcire, demptis veræ religionis principiis, ac certis capitibus chriſtianæ fidei numine nobis patefactis, aut rationis primis principiis, quæ ſolitario naturæ lumine percipiuntur: ad quorum intelligentiam nec libris opus eſt, nec literis, eaque probare ſupervacaneum & abſurdum eſt.

ARISTARCHUS.

Ex habitu & colore modeſtiæ quam in ore & vultu præ te fers, dum aſſeris metam theologicam tuis ſtudiis circumſcripſiſſe, nec voluiſſe prætergredi cer-

Digitized by Google

tos fines librorum eccleſiaſticorum: non videris habere animum hodie diſſerendi nobiſcum, niſi de auctoribus ſacris. At verò cùm nihil ſit ſublimius iis quæ tractant negotiis, ac periculoſius erroribus theologicis: noſtrâ maximè intereſt ejuſmodi hallucinationes internoſcere, atque ab eorum incurſionibus animum vindicare. Verùm enimverò ſemper exiſtimavi nullam eſſe diſciplinam aut artem theologicâ magis caſtigatam. Viri illi μεγαλώνυμοι, quos Eccleſiæ patres ac doctores appellare ſolent Græci & Latini, tam ſpectatâ innocentiâ vitæ, votorum integritate, ſingulari animi æquitate ſcripſerunt, ut in nullos errores incurrerint, niſi qui neceſſitatem habeant, & ab humanâ mente declinari nequeant; qui nec veritati offi-

Digitized by Google

ciant, aut religioni noceant, quas ſuis lucubrationibus tuendas fortiter receperunt. Hoc eſt enim pretium contentæ rationis humanæ, ſpontè luxuriantis intra fines ac terminos fidei chriſtianæ.

THEODORUS.

Heû! quid ais, Ariſtarche cariſſime? an putas nullis inquinari ſphalmatis aut hallucinationibus lucubrationes patrum? & priſtinam ſententiam illicò deſeris, nec jam bibliothecas errorum oceanum aut figmentorum officinas exiſtimas? Hô! quàm docti ſapienteſque viri contradicunt tibi atque repugnant!

ARISTARCHUS.

Equidem fateor, Theodore;

Digitized by Google

ſed firmiter defendo, doctos ejuſmodi ſapienteſque viros hæſitaſſe, ceû hallucinatos eſſe, qui cùm patrum inſcitiam manifeſtare ſuis lædoriis vellent, ſuam ipſi ignorantiam abundanter patefecerunt: ſuorum affectuum illecebris, ac proprii nominis gloriâ ineſcati, ac ſui amore capti. Nec propterea tibi perſuadere debes me priſtinam ſententiam reliquiſſe. Enimverò cùm bibliothecas oceanum errorum dixi, aut officinas, generaliter dictum puta, non generatìm; nec enim exiſtimo ſingulatìm omnes libros erroribus contaminatos exiſtere, ſed pleroſque infinitis contumeliis inquinatos, nec propterea minori cum jucunditate & animi voluptate perlegi.

Digitized by Google

THEODORUS.

Quæſtiones facti quas vocant, diluere non eſt difficile. Libros enim in proſpectu habere ſat eſt. Exempli gratiâ, quis defendere poteſt doctiſſimum Joannem Dallæum Calvinianæ ſectæ miniſtrum, hallucinatum fuiſſe, aperto libro 2° *de vero uſu patrum*, folio 241; in quo prodidit ſanctum Baſilium magnum, Cæſareæ in Cappadociâ archiepiſcopum, homil. III, in *hexaëmeron*, fol. 37, lit. C, editionis Pariſienſis anni M. DC. XVIII. ſcripſiſſe Danubium flumen è montibus Pyreneis ſcaturire cum Tarteſo: qui ſe ultrà fretum Gaditanum exonerat, ſive columnas Herculis.

ARISTARCHUS.

Rectè quidem carpit ejuſmodi

portentum geographicum, ſi res ità ſe habeat apud ſanctum Baſilium.

Theodorus.

En præ manibus habes autographum, lege : ἀπὸ δὲ δυσμῶν τῶν θερινῶν ἀπὸ τοῦ Πυρηναίου ὄρους Ταρτησσός τε καὶ Ἴστρος· ὧν ὁ μὲν ἐπὶ τὴν ἔξω στηλῶν ἀφίεται θάλασσαν· ὁ δὲ Ἴστρος διὰ τῆς Εὐρώπης ῥέων ἐπὶ τὸν Πόντον ἐκδίδωσι. *Ab occaſu autem æſtivo ex Pyreneo monte Tarteſus & Iſter egrediuntur, quorum ille ad mare pergit, quod ultrà columnas Herculis diffunditur : Iſter verò Europam præterfluens, in Pontum emanat.*

Aristarchus.

Egregiè quidem, ſed hæc primâ fronte adeò abſurda ſunt, ut aliter legere neceſſe videatur.

Digitized by Google

Loco igitur Γυρλωαῖον ὄρος, quæ montem Pyreneum ſignificant, fortè legendum πυρϵῖον ὄρος, quæ montem ex materiâ ſiccâ & chalibeâ ſonant, quod tùm Danubio rectè convenit, ex interruptâ rupe chalibeâ ſcaturienti cum Tarteſo. Ejuſmodi locorum grammaticæ reſtitutiones maximè conducibiles ſunt, & plerumque neceſſariæ, multiſque exemplis confirmare neutiquàm arduum aut difficile eſt. Sed utcumque res ſit, ex his ſancti Baſilii verbis Dallæum captare contumeliam turpiſſimum eſt, quippè cùm bonâ fide ſanctiſſimus doctor exſcripſerit ex Ariſtotelis libro primo *meteorologicorum*, cap. XIII, in quo ſic fatur philoſophus: ἐκ δὲ τῆς Πυρλώνης (τοῦτο δ' ἔστιν ὄρος πρὸς δυσμὴν ἰσημερινὴν ἐν τῇ Κελτικῇ) ῥέουσιν ὅ τε Ἴστρος καὶ ὁ Ταρ-

τησσὸς ἐστὶ μὲν οὖν, ἔξω στηλῶν· ὁ δὲ Ἴστρος δι' ὅλης τῆς Εὐρώπης εἰς τὸν Εὔξεινον πόντον. *Porrò ex Pyreneo (hic autem mons eſt Celticæ regionis æquinoctialem occaſum ſpectans) Iſter & Tarteſus diffluunt , hic extra Herculis columnas ; ille totam interfluens Europam , in Pontum effunditur Euxinum.* Nec dubitandi locum reliquiſſe putat idem Dallæus de oſcitantiâ ſancti Epiphanii , dum aſſerere ait Gangem intra Gades in oceanum erupiſſe ; & eo loci obſervavit deluſum ſanctum Epiphànium : ὁ Γάγγης καὶ δύει ἔσωθεν γαδήρων εἰς τὸν μέγαν ὠκεανόν. Sic traducit doctiſſimus Petavius Jeſuita : *Et Ganges intra Gades in oceanum erumpit.* Et obſervavit eo loci deluſum Epiphanium in anchorato, pag. 6. lit. D.

Aristarchus.

Deprehenſionem ejuſmodi Petavio non adſcribit Dallæus, ſed eâ ſuum opus exornat. Sic decidentes pennas pavoni graculus ſuſtulerat, adeóque hallucinationem vehementer graſſator exprobrat Epiphanio, eodem libro 2°, *de uſu patrum*, pag. 241. Verumtamen ſi in locum Γ γαμμα majoris, minus γ reponatur, totum inventi critici ruit ædificium; nam γαδείρων non ampliùs ſignificat Gades aut fretum Gaditanum, ſed ſepimentum, juxta Tzetzem & alios lexicographos, fines, terminos: adeóq de bonis Græcis ſcribendum erit non deteriùs *Ganges intra terminos, intra ſæpes, intra fines in oceanum erumpit.* Dubium non eſt quin hæc vera ſit ſignificatio hujus vocis γαδειρῶν a-

pud Phœnices, ut refert Heſichius, γαδειρα τὰ περιφράγματα Φοίνικες, ab Hebreo גְּדֵרָה à radice גָּדַר Quamobrem ait Phavorinus in ſuo lexico, λέγονται τὰ γάδειρα πληθυντικῶς, ἀπὸ τοῦ γῆ, καὶ τοῦ δειρὰ. τὰ γάδειρα τῆς γῆς ἐξοχή ἐστιν. *Dicuntur Gades plurali numero à terrâ in colle pleniſſimè. Gades ſunt eminentia terræ.*

At verò credibilius eſt ſcribam deliraſſe, & majus γάμμα loco minoris repoſuiſſe, quàm ſanctum Epiphanium Gangis originem & oſtia, quibus in oceanum erumpit, ignoraſſe. Huic ſententiæ multùm patrocinatur, Gangem inter diſruptas rupes in oceanum erumpere, quod quidem ex omnibus cartis geographicis intelligere facile eſt. Verumtamen his poſtpoſitis haud ſcio an relicto γάμμα minore aut majore, non ſit legen-

Digitized by Google

dum γαδάρων, loco γανδάρων. Eo enim nomine populi apud Indos appellantur, ut obſervant Stephanus Byzantinus, *de urbibus*, & Abrahamus Ortelius, in ſuo theſauro geographico. De hac gente mentionem facit Ptolomeus. Gandridas vocant Arrianus in vitâ Alexandri, & Diodorus Siculus, obſervantque ad oſtia Gangis habitare. Gangaridas memorat Virgilius libro tertio Georgicon:

In foribus pugnam ex auro ſolidóque elephanto
Gangaridum faciam, victoriſque arma Quirini.

Cùm verò ejuſmodi conjecturæ rectæ rationi ac ſenſûs communis legibus congruere videantur, poterit ſine faſtidio & nimis operoſo labore S. Epiphanius nævis, quibus à Dallæo inquinatur, purgari.

Digitized by Google

THEODORUS.

Sed res ejuſmodi non levi conjecturâ penduntur; ſæpe homines fallaci aberrant, atque iis credere plus in temeritate, quàm in ſapientiæ conſiliis poſitum eſt. Vereor, Ariſtarche, nè reſtitutionibus ejuſmodi ac conjecturis ratio locum ampliſſimum non relinquat. Inſuper quî fieri poteſt ut Ganges magnam Æthiopiam penetret: διαπερᾷ δὲ τὴν μεγάλην Αἰθιοπίαν.

ARISTARCHUS.

His modò non abnuiſti reſtitutionibus ad locum ſancti Baſilii: at verò quàm non ſolùm opus, verùm etiam neceſſe ſit admittere, comprobare non renuam. Quid enim, ſi hac ope carendum eſt, ſibi velle videbitur ſanctus

ſanctus Iſidorus Peluſiota, dum ait epiſtolarum libro 2°. epiſt. CLXXVII, Theodoto preſbytero, pag. 209. Εἷς γὰρ ἑρμηνευθεὶς ἄγρυπνος, quæ traducit Jac. Billius abbas ſancti Michaëlis in eremo. *Unus porrò, ſi interpreteris, vigilem ſonat*, niſi 'loco εἷς reſtituatur εἴρ, quod hebræum eſt, ſive chaldaïcum, & ſignificat *ſine ſomno*: Nihil ſignificare ſanctum Gregorium Nazianzenum in fine orationis XXI, dum titulos deorum in ſanctum Athanaſium transfert, & dicit φιλόξενον, defendit Lud. Creſſolius Jeſuita doctiſſimus, ſui *myſtagogi* libro 2°. pag. 382, lit. D. quippè quo nunquàm gentiles ſuos deos exornarunt, adeóque legendum eſſe φίλιος & ξένιος, ut jam obſervaverat Franciſcus Turrianus alter Jeſuita doctiſſimus, quæ Jovem amicum & hoſ-

pitalem ſignificant apud gentiles. Sed ejuſmodi obſervatio doctis pleriſque hypercritica videbitur & incerta, cùm Pindarus olymp. ode 111, hæc habeat.

τυνδαρίδαις τε φιλοξένοις ἀδεῖν
καλλιπλοκάμῳ θ' Ἑλένᾳ,
κλεινὰν Ἀκράγαντα γεραίρων, εὔχομαι, &c.

Sanctus Clemens Alexandrinus, libro 2°. *ſtromatum*, pag. 303, ait de Epicuro, vocem Deo parem exclamaſſe impiè dicentem, τὴν ἰσόθεον ἐπεφώνησε φωνὴν, ἀσεβῶς εἴπων, quæ quidem ſenſu carere videntur, niſi μ ante ι collocetur, μισόθεον, *Deo inviſam & odibilem vocem* exclamavit, *impiè dicens.* Reverà enim quî fieri poteſt ut vocem *Deo parem quis proferat, impiè dicens*? Sed hoc modo ſe extricare facile eſt; ſiquidem ipſemet doctus Creſſolius

Digitized by Google

non animadvertit φωνὴν ἰσόθεον ſignificare vocem Deo æmulam, & ſuperbam, & impiam, quâ ſe cum Jove pugnaturum Epicurus aſſerebat; εἰπὼν, ἐν πύπτοις Διΐ πατρὶ μάχεσθαι. De cæterò, non ignoras multiplicem apud antiquos fuiſſe Æthiopiam; alteram in Aſiâ ad Indum, ſive ut alii vocant, Gangem fluvium; alteram in Africâ, ut obſervavit doctiſſimus Petavius in ſuis ad Anchoratum animadverſionibus, pag. 371. & Abrahamus Ortelius in ſuo theſauro geographico.

THEODORUS.

Ejuſmodi probationes, noſtras dubitandi rationes friant & diluunt penitùs. Perge igitur, Ariſtarche: animum noſtrum ſtudiorum tuorum jucundis acceſſioni-

Digitized by Google

bus expleſ, mentemque à corpore abſtactam tuæ eruditionis inſtinctus concitat & oblectat vehementer.

ARISTARCHUS.

Verùm cùm hæ conjecturæ ad antiquorum ſcriptorum loca reſtituenda, rectâ ratione ac ſenſu communi hominum ſuſtentantur, antiquis manuſcriptis, codicibus autographis, aut ſinceris apographis confirmari ſolent, cùm reperiri poſſunt, uti paucis ab hinc diebus contigit in editione operum ſancti Auguſtini, ad quam nunquam ſatis laudandi monachi doctiſſimi congregationis ſancti Mauri, divinâ cum curâ & diligentiâ incumbunt. Enimverò cùm legerentur concione 1. in pſalmum LXX, hæc verba: *Quis enim ei*, ſcilicet

Digitized by Google

Deo, *diceret, quid feciſti, ſi damnaret juſtum?* Et hac lectione inſtigati, ſerè omnes doctores ſcholaſtici ſibi perſuaſiſſent poſſe Deum ratione omnipotentiæ, beatam virginem matrem & omnes ſanctos in infernum præcipites dare, & pœnis æternis devovere; celeberrimus doctor Lovanienſis, cujus amicitiâ & conſpectu fieri ſolebam doctior, & ſancto Auguſtino addictior, defendit, & ex contextûs Auguſtiniani anteriorum & poſteriorum analyſi probavit legendum eſſe *injuſtum*, non *juſtum*. Hanc verò lectionem in ſplendidâ illâ Auguſtini editione antiquiſſimo codice manuſcripto Corbeïenſi ſuffultam reſtituerunt ſinceriſſimi aſcetæ, & magnum dederunt teſtimonium initæ ſocietatis atque icti fœderis æterni inter ſenſum commu-

Digitized by Google

nem & codicum manuſcriptorum genuïnam antiquitatem. Sic olim cùm in editionem Eraſmi, & alias operum S. Auguſtini ante correctionem Lovanienſ. hic error irrepſiſſet, ut locus celebris capitis duodecimi de correptione & gratiâ ſic conceptus legeretur. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſeparabiliter ageretur*, loco, *inſeparabiliter*, *inſuperabiliter* repoſitum eſt, quod minùs patrocinatur hæreſi Calvinianæ de *inſeparabilitate* gratiæ & fidei ſemel receptæ. Denique infinitis exemplis ex profanis & eccleſiaſticis ſcriptoribus, ipſáque ſacrâ ſcripturâ aſſumptis, libentiſſimè probarem ejuſmodi reſtitutionum neceſſitatem, niſi tot exemplorum ſimilitudo ſatietatem fortaſſè & faſtidium pareret.

Digitized by Google

THEODORUS.

Exemplis reverà innumeris non opus eſt; nec dubito quin Dallæus rotundè magis ac liberaliter cum ſanctis Baſilio & Epiphanio agere debuiſſet. Sed cùm præ manibus habeas Auguſtinum, ſcire averem, an jure meritò Dallæus tantum doctorem intolerabilis ignorantiæ accuſet, eo quod concilium Sardicenſe Arianorum fuiſſe crediderit, quod magnum ſancto Athanaſio patrocinium præbuiſſe ſciunt omnes eruditi.

ARISTARCHUS.

Ubinam, quæſo, hanc miniſter exprobrat contumeliam S. Auguſtino?

Digitized by Google

THEODORUS.

Libro 2° *de uſu patrum*, pag. 239. poſtquàm prodidit hæc verba ſancti Auguſtini, ex libro 3° contra Creſconium, cap. 34°. *Diſce ergo quod neſcis; Sardicenſe concilium Arianorum fuit, quod notum jam diù eſt, ut habeamus in manibus, contractum maximè contra Athanaſium epiſcopum Alexandrinum.* Sic fatur miniſter; de quo ait Alexander Morus alter miniſter ejuſdem templi Charentonii. *Vox ſuperat calamum, ſolaque lingua manum. Hæc ille*, ſcilicet *Auguſtinus contra omnium hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptorum fidem, qui Sardicenſem ſynodum, & catholicorum, & pro Athanaſio fuiſſe teſtantur.*

Digitized by Google

ARISTARCHUS.

Non poterat evidentiori teſtimonio ſuam inſcitiam patefacere doctus ille miniſter. Neſciebat enim concilii Sardicenſis rationem eſſe habendam ante & poſtquàm orientis epiſcopi ab eò diſceſſiſſent, qui Philippopoli coïerant; & obſervandum eſſe ſanctum Auguſtinum eo loci loqui de epiſtolâ quam hi epiſcopi ante diſceſſum ſuum ad Donatiſtas ſcripſerant. Quo quidem tempore hujuſce concilii graſſatores fuiſſe Arianos, nulli ſcriptori eccleſiaſtico dubitandi locus relinquitur. Vides ergo quàm ſpiſſè imperiti & hiſtoriæ eccleſiaſticæ expertis ſit hominis ejuſmodi inſcitiæ ſanctum Auguſtinum criminari. In veritatem periculoſi ſunt diverſæ partis miniſtri, &

valdè ancipites dum patres Eccleſiæ citant, & in ſuorum errorum patrocinium adducunt.

THEODORUS.

Non ſolent viri literati doctis diffidere miniſtris. Te ad patefaciendam in citandis libris eorum infidelitatem provocare non pertimeſcerem, quippè cùm reipublicæ literariæ veluti numina & oracula habeantur Dallæi, Blondelli, Albertini, Larrocani, Salmaſii, qui tantâ cum ſui nominis famâ *reformatam Religionem* in Galliâ tuendam noſtrâ ætate receperunt.

ARISTARCHUS.

Hac te voluptate afficere jucundum eſt, tibi que gratificari perfacile. Legiſti hiſtoriam con-

Digitized by Google

feſſionis auricularis, paucis ab hinc annis typis impreſſam Pariſiis? Ex eâ enim intelligere neceſſe eſt, quàm fide indignus ſit veſter ille Dallæus. Doctor Sorbonicus hujus hiſtoriæ ſcriptor, objicit Dallæo tam certum & manifeſtum commiſſæ infidelitatis teſtimonium, ut omni exceptione majus videri poſſit: occaſione datâ exprobrationis factæ libro 3°. *de confeſſione auriculari*, pag. 263, cardinali Bellarmino, ob prolata hæc verba Sozomeni, ex lib. VII. hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. XVI, in patrocinium aſceſis confeſſionis auricularis, eo tempore receptæ: *Ad impetrandam veniam peccata confiteri neceſſarium eſt*: quæ quidem verba in cerebro Bellarmini efformata & fabricata fuiſſe contendit, & in Græco textu nuſquàm reperiri,

fortiter & nervoſè propugnat.

THEODORUS.

Equidem legi ac perlegi hiſtoriam confeſſionis auricularis.

ARISTARCHUS.

Itaque dubium nullum jam tibi ſubolet, quin conceptis verbis autographum Græcum Sozomeni ità ſe habeat: ἐν τῷ παραιτεῖσθαι συνομολογεῖν τὴν ἁμαρτίαν χρεὼν; quæ quidem Latinè caſtigatiùs reddi non poſſunt quàm his, *ad impetrandam veniam, peccata confiteri neceſſarium eſt.*

THEODORUS.

His viſis, fateor, attonitus permanſi. Nec enim perſpicio faciliter quo inſtinctu aut conſilio in

Digitized by Google

tam ſpiſſum errorem prolapſus ſit Dallæus. Virum probum novi & honeſtum, quem apud eruditos accuſare ignorantiæ turpiſſimum eſt; niſi omnes homines qui ſcire volunt, nihil ſcire fateri neceſſe ſit.

ARISTARCHUS.

Ergo vel malitiæ inſtinctu, quâ præditus erat, aut morſu affectûs partium quibus nomen dederat, adeò excæcatus fuit, ut penitùs lumine captus, per ſalebras affatìm incederet. Nec enim mihi perſuadeo Blondellum, Albertinum, Larrocanum & illuſtriſſimum Salmaſium, ſpiſſâ rerum eccleſiaſticarum inſcitiâ laboraſſe, qui datâ occaſione, in hallucinationes incurrerunt ejuſmodi.

Digitized by Google

THEODORUS.

Quamobrem tibi gratulor, amiciſſime Ariſtarche, tam copioſam & tantam librorum ſupellectilem, quorum ope diſquirere facile eſt, errores & hallucinationes, quibus illuſtres viri inquinati ſunt. Retege, quæſo, & aperi nobis ſphalmata tot virorum in re literariâ illuſtrium, ſub lodice & conopeis ſcientiæ, & fucatæ eruditionis celata.

ARISTARCHUS.

Continuo ſermone ſatisfaciam ampliſſimè; ſed tam citò dimittere Dallæum non expedit, ſuprà omnes virum audacem in caſtigandis ſcriptoribus eccleſiaſticis, & increpandis patribus temerarium. Reſume igitur librum Dal-

Digitized by Google

læi, *de uſu patrum*, pag. 240, & aperi alterum Blondelli *de Sibyllis*, vernaculo ſermone ſcriptum, cap. 11. Contendunt ambo, ſanctum Juſtinum martyrem deluſum fuiſſe, dum apologiâ ſecundâ pro chriſtianis, ait pag. 69, Romanos in inſulâ Tyberis erexiſſe ſtatuam Simoni Mago: ἐν τῷ Τίβερι ποταμῷ μεταξὺ τῶν δύο γεφυρῶν ἔχων ἐπιγραφὴν Ῥωμαϊκὴν ταύτην Σίμωνι δέῳ Σάγκτῳ, cùm antiqua inſcriptio præ ſe ferret *Semoni ſanco Deo fidio ſacrum*, qui quidem Deus Sabinorum erat. Doctiſſimus Mabillonius, congregationis ſancti Mauri monachus Benedictinus, hanc vidiſſe Romæ apud Franciſcanos inſcriptionem teſtificatur in ſuo Muſæo Italico, pag. 87, tom. 1. Idemque anteà præſtiterat Fulvius Urſinus: ſed ex his erratum ſancto Juſtino eſſe ad-

Digitized by Google

ſcribendum neutiquàm conſequitur. Incogitabile enim eſt, gentiles, quos oppugnaverat, ei non exprobraſſe iſtiuſmodi calumniam, & falſi non conviciſſe. At verò ab ejuſmodi exprobratione gentiles abſtinuiſſe demonſtrant ſancti patres, qui ejuſmodi ſtatuam Simonis Magi diù poſt ſanctum Juſtinum continenti tempore objicere non auſi eſſent, niſi reverà nemine reclamante, conſtitiſſet. Id verò intelligimus ex ſancto Cyrillo Hieroſolymitano, qui ducentis annis poſt ſanctum Juſtinum, ſcilicet anno Chriſti CCC. LXXXVI, ſub Conſtantio imperatore obiit, catecheſi VI; in quâ refert, imperatorem Claudium hanc erexiſſe ſtatuam Simoni Mago, cum hac inſcriptione, *Simoni Deo ſancto* : καὶ ἐπλανησέτε οὕτω τὴν Ῥωμαίων πόλιν, ὥστε

ὥστε Κλαύδιον ἀνδριάντα αὐτοῦ στῆσαι ὑπογράψαντα τῇ Ῥωμαίων γλώττῃ, Σίμωνι δέῳ Σάγκτῳ, ὅπερ ἑρμηνευόμενον δηλοῖ, Σίμωνι θεῷ ἁγίῳ. Tertullianus, qui poſt ſanctum Juſtinum vixit, eandem ſtatuam & inſcriptionem objicit Romanis, capite XIII apologetici. *Cùm Simonem Magum ſtatuâ & inſcriptione ſancti Dei inauguratis.* Deſiderius Heraldus, qui primus in commentario apologetici Tertulliani hanc hallucinationem ſancto Juſtino adſcripſit, obſervat ſanctum Ireneum, qui obiit XXVIII Junii anni CC. I. Chriſti, de eadem ſtatuâ mentionem feciſſe lib. ſcil. I. cap. XX. Adjungere poterat Euſebium, lib. 2. hiſtor. eccleſ. cap. XXII, & Theodoretum lib. I. hæreticarum fabularum. At verò quis ſibi perſuadeat falſitatem à tantis viris, & in rem chriſtia-

nam vigilantibus, gentilibus objectam fuiſſe in oculos omnium hominum ſensìm incurrrentem? Quis ſanctum Juſtinum, martyrem, in rebus theologicis gentilium virum peritiſſimum, reputet adeò conſopitum, ut in tam impolitum errorem incurrerit? & Deum Sabinorum, de quo mentionem fecerant apertam Titus Livius lib. VIII; & Plutarchus in vitâ Publicolæ, cum Simone Mago miſcuerit? Cùm ex tam levi conjecturâ de inſcriptione, *Semoni ſanco Deo fidio ſacrum*, apud Franciſcanos Romæ inventâ, *Simoni ſancto Deo* inſcriptionem à ſanctis patribus fictam & fabricatam fuiſſe, defendi contumaciter intelligo: ejuſmodi fabulæ defenſores non mihi videntur abſimiles iis Hiſpanis, qui Romæ tempore Urbani papæ VIII, in-

dulgentias incaſſùm petebant, in gratiam pietatis, ceû devotionis erga *ſanctum Viar*; cujus nomine prolato ſummus pontifex attonitus & curia Romana obſtupuit; juſſitque ſibi probari ejuſmodi ſanctum in orbe terrarum aliquando extitiſſe; cujus gratiâ cùm Hiſpani truncum lapidem & æruginoſum protuliſſent, in quo veteres characteres inſculpti erant, hi ſcilicet, S. VIAR emunctæ naris criticus animadvertit, S. VIAR. effieri ex ſuperſtitibus literis inſcriptionis veteris, his verbis conceptæ, PRÆFECTUS VIARUM. Non enim congruentius eſt rectæ rationis legibus, ex *Semoni ſanco Deo fidio ſacrum* efformare *Simoni ſancto Deo*, quàm *ſanctum Viar.* ex S. VIAR. ſuperſtitibus characteribus inſcriptionis, *Præfectus viarum.*

Digitized by Google

THEODORUS.

In eam cum aliis iveram ſententiam, ingenuè fateor; mihique adeò probabilis viſus erat error ſancti Juſtini, ut ejus opinio de ſtatuâ Simonis Magi Romæ erectâ prorſùs incredibilis videretur. Pauci reputant eandem exprobrationem erectæ ſtatuæ iſtiuſmodi gentilibus factam fuiſſe, nemine homine repugnante, à ſancto Irenæo, Tertulliano & ſancto Cyrillo Hieroſolymitano, vereorque maximè nè multorum ſit perpetua in hac conjecturâ & hæſitatione permanſio, quippè cùm apud nullos auctores profanos hujuſce novi Dei Simonis Magi mentio occurrat: cùm præſertìm doctiſſimus Henricus Valeſius in ſuis annotationibus ad caput XIII libri 2, Euſebii hiſ-

Digitized by Google

toriæ Eccleſiæ, dicat, Juſtinum *deluſum fuiſſe à Samaritanis quibuſdam, qui ſtatuam illam Simoni Samaritano poſitam fuiſſe ei perſuaſerunt. Quaſi verò Romani Magum ac præſtigiatorem adhuc viventem conſecraviſſent, aut quaſi Romani Deum, adjecto epitheto, ſanctum vocaverint.*

ARISTARCHUS.

Benè ac ſapienter obſervaſti, Theodore, niſi auctores, qui de diis gentilium ſcripſerunt, recenter inventos deos poſt chriſtianæ legis promulgationem libenter omiſerint: ſed valdè credibile eſt ſanctos patres & chriſtianos, hanc objectaſſe ſtatuam & inſcriptionem, rei novitate attonitos, eo præſertìm tempore quo jam oracula loqui deſierant, & omnes dii gentilium ad ſenium

Digitized by Google

& viciniam interitûs ſui pervenerant.

Inſuper quantumvis incogitabilis videatur fatuitas apud gentiles, nulla eſt incredilis, qui deam Cloacinam, & ipſos crepitûs ventris adorare, & inter deos collocare non erubuerunt, teſte Origene contra Celſum, libro v, pag. 255. Minucio Felice, dialogi Octavii, pag. 89. S. Clemente, *recognit.* lib. v, fol. 93. S. Hieronymo, in Iſaïam lib. XIII. De cætero, nullum argumentum prodidit Valeſius, ex quo intelligamus Samaritanos ludificaſſe ſanctum Juſtinum ejuſmodi erroris ſpecie futili & improbabili; quippè cùm nihil magis tritum ac vulgare ſit apud Romanos, quàm ſanctos vocare deos. Hanc inſcriptionem refert ex veteri marmore Joannes Laurentius, in ſuis

Digitized by Google

notis & obſervationibus ad fabulas Æſopicas Phædri.

HERCULI SANCTO SAC.
P. POMPONIUS NOETUS
VOT. SOL.

Propertius de eodem Hercule ait:

Sancte pater, ſalve, cui favet aſpera
Juno,
Sancte, velis libro dexter adeſſe meo.

Ovidius in epiſtolâ Acontii Cydippe:

Quod quia ſit lectum ſanctâ præſente
Dianâ,
Eſſe tuam vinctam numine teſte
fidem.

Phædrus, lib. v°, fabulâ IV.

Quidam immolaſſet Verrem cum ſancto Herculi,
Cui pro ſalute votum debebat ſuâ.

Varro de linguâ Latinâ, lib. IV, pag. 19. *Caſtorem & putabant hunc eſſe ſanctum ab Sabinâ linguâ, &*

Herculem ab Græcâ.

Arnobius lib. v. *Hercules ſanctus Deus natas quinquaginta de Theſtio nocte unâ perdomuit.*

Catull.

Sancte puer, curis hominum qui gaudia miſces.

Quem neque ſancta Venus molli requieſcere lecto.

THEODORUS.

Utinam igitur ab hac accuſatione Blondellus & Dallæus adverſùs ſanctum Juſtinum abſtinuiſſent. Dicere pro viris inſontibus tàm honorificum eſt, quàm eos accuſaſſe turpiſſimum.

ARISTARCHUS.

Sed adhuc plura ſuperſunt, ex quibus obſervatum iri à te, non dubito, falſa ex ore & calamo

Digitized by Google

doctiſſimorum proteſtantium extorta, affectu cordis hæreticâ pravitate inquinati; quæ viri literis tenuiter imbuti proferre vehementer pertimeſcerent. Legiſti librum alterum Blondelli, ſub titulo *apologiæ ſententiæ ſancti Hieronymi*, quo plus quàm potuit, contendit jure divino nullum incurrere diſcrimen inter epiſcopum & preſbyterum?

THEODORUS.

Legi & perlegi ſummâ cum animi voluptate; ac præſertìm memini ampliſſimæ & doctiſſimæ præfationis, quam infinitis locis patrum Græcorum & Latinorum caſtigatè explevit & exornavit.

Digitized by Google

ARISTARCHUS.

Ex ipſamet præfatione falſi crimine convinci faciliter poteſt deditâ operâ commiſſo, in patrocinium opinionis quam in hoc opere tuendam recepit; dum prodidit epiſtolam Cornelii papæ ad Fabium Antiochenum, exſcriptam ex libro VI. hiſtoriæ eccleſiaſticæ Euſebii cap. XLIII.

THEODORUS.

Explica nobis, quæſo, quâ ratione falſarius exiſtat ille doctiſſimus Blondellus, qui tot mendacia ac commentitia aliis ſcriptoribus exprobravit.

ARISTARCHUS.

Factum puta; quære paginam

Digitized by Google

trigeſimam-ſecundam præfationis. In eâ defendit anno CC. LI Chriſti, nullos tum fuiſſe in eccleſiâ Romanâ ſubdiaconos, probatque hac epiſtolâ Cornelii papæ ad Fabium Antiochenum. *Siquidem*, inquit Blondellus, *anno domini* CC. LI, *contra quam libri pontificalis ſcriptor putavit, preſbyteris quadraginta-ſex, diaconis ſeptem, acolytis quadraginta-duobus, exorciſtis, lectoribus & oſtiariis quinquaginta-duobus conſiſtit totius Romani cleri* σύνταγμα. *Unde conſtare poteſt nullos tum in urbe ſubdiaconos fuiſſe.* Verumtamen ſeptem ſubdiaconos extitiſſe Romæ ex textu Græco ejuſdem epiſtolæ intelligimus, apud Euſebium relatæ : ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει. πῶς γὰρ, πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαράκοντα ἓξ, διακόνους ἑπτὰ, ὑποδιακόνους ἑπτὰ, ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα. Hæc

verba potes conferre cum editione Euſebii, Roberti Stephani, anni M. D. XLIV, in quâ videbis nullum dubitandi locum relinqui, quin Blondellus hæc verba ὑποδιακόνους ἑπτὰ expunxerit; quæ quidem omiſſio adeò in ſenſûs & oculos incurrit, ut ipſi proteſtantes eam Blondello exprobraverint, ut patet ex annalibus Cyprianicis Oxonii impreſſis anno M. DC. LXXXII, pag. 34, Joannis epiſcopi Cheſtrienſis in Angliâ.

THEODORUS.

Quæ dicis tam perſpicua ſunt, ut nulla res infirmare poſſit. In eadem verſione hæſit Henricus Valeſius, & ea verba πρεσβυτέρους τεσσαράκοντα ἕξ, preſbyteros quadraginta-quatuor, non *ſex* traduxit.

ARISTARCHUS.

Ità reverà ſe res habet ; ſed ejuſmodi erratum vitio correctoris typographici irrepſiſſe, luce meridianâ clarius eſt. Ejuſmodi enim hallucinatio nihil attinet, & nemini homini qui de poteſtate ſenſûs communis non exceſſerit, dubium ſubolere poteſt, quin doctiſſimus Valeſius ſciverit ἓξ non ſignificare *quatuor*, ſed *ſex*.

THEODORUS.

Ad alia pergamus, Ariſtarche.

ARISTARCHUS.

En vides librum Albertini, Charentonii templi miniſtri, *de euchariſtiâ* : non feliciùs aliis teſtimonia patrum, nec caſtigatiùs prodidit.

Digitized by Google

THEODORUS.

Non contradicam, Ariſtarche; enimverò cùm præ manibus habentur libri, tantùm aperiendi ſunt oculi.

ARISTARCHUS.

Aperi igitur tantulùm opus Albertini, & quære lib. III, pag. 929. Ibi, poſtquàm examinavit ſententiam Ratramni *de corpore Chriſti in euchariſtiâ*, qui nono ſæculo vixit, & quid de hoc auctore ſenſerit cardinalis Perronius, locum ſancti Ratberti Paſchaſii abbatis Corbeïenſis profert.

THEODORUS.

En verba concepta Paſchaſii: *Frivolum eſt ergo, ſicut in eodem apocryphò legitur, in hoc myſterio*

Digitized by Google

cogitare de corpore, nè commiſceatur in alterius cibi digeſtione.

ARISTARCHUS.

Quis eſt ſenſus tuus, quœ cogitatio de his verbis?

THEODORUS.

Exiſtimo Paſchaſium tanquàm fatuïtatem reputaſſe auctorum apocryphorum ſibi fingere corpus eſſe in euchariſtiâ, & abſtinendum eſſe à commixtione illius cum aliis alimentis, nè cum iiſdem manſis digeratur.

ARISTARCHUS.

In verâ cogitatione verſaris: Sed hunc locum interpolavit Albertinus; nam loco horum verborum, *Frivolum eſt in hoc myſterio cogitare de corpore*, hæc habentur: *Frivolum eſt cogitare de*

Digitized by Google

ſtercore. Lege caput XX libri Paſchaſii, *de corpore & ſanguine domini*, pag. 1606, editionis Jacobi Sirmondi doctiſſimi Jeſuitæ, cujus ſinceritatem proteſtantes in ſuſpicione non ponunt, anni M. DC. XVIII. Itàne licet verba autorum corrumpere, & ad alium ſenſum traducere?

THEODORUS.

Quiſquis videbit, ſicut jam oculis meis ſubjicis, in Albertino ſcriptum, *de corpore*, & in Paſchaſio, *de ſtercore*, nunquàm defendet hujuſmodi prolationem, ceû citationem, eſſe caſtigatam & ſinceram, quamvis hæc homini conſopito, aut non cogitanti, excidere poſſit.

ARISTARCHUS.

Crederem libenter, niſi vide-

rem

Digitized by Google

rem miniſtros diverſæ partis ejuſmodi hallucinationibus obnoxios, cùm præſertìm de ſuæ religionis rebus agitur. Exemplum proferam non prætermittendum, ex lib. 3° Joannis Dallæi *de jejuniis & quadrageſimâ*, cap. XII, pag. 548, impreſſo Daventriæ anno M. DC. LIV; in quo ex his verbis Gregorii Turonenſis, lib. X hiſtoriæ Francorum, mentione factâ ſancti Perpetui Turonenſis archiepiſcopi, qui jejunia vigiliaſque, qualiter per circulum anni obſervarentur, inſtituerat, *poſt quinquageſimam quintâ & ſextâ feriâ, uſque natale ſancti Joannis*, colligit non alia ante Paſcha occurrere jejunia: niſi quæ à quinquageſimâ, id eſt, à ſeptimâ ante Paſcha dominicâ, quartâ ſextâque feriis celebrabantur, adeóque jejunium quadraginta dierum ante Paſcha

prorſùs ſuggillat, & recentius inventum ipſo epiſcopatu Perpetui, qui Euſtochio in ſede Turonenſi ſucceſſerat, circa annum CCCC. LX, mordicùs & moroſè defendit: Sed ex iſto vocabulo, *quinquageſima, poſt quinquageſimam*, quibus ſanctus Perpetuus quinquageſimam inter Pentecoſtem & Paſcha ſpectaverat, ſpiſſo cavillo ac ſubruſticâ ſimulatione de quinquageſimâ antepaſchali cautus miniſter prodidit. Quaſi verò eo tempore Perpetui, inclinato jam ſæculo quinto, dubium ſubolere poſſit, quin jejunium plurium ante Paſcha hebdomadum continenter & conſtanter, in oriente & occidente, ante Paſcha peractum ſit, cùm ipſemet Dallæus eodem libro, in fine capitis decimi, conceptis verbis, pag. 501, ſic loquatur. *Ab his*
Digitized by Google

temporibus (ſcilicet anno domini 360) quadrageſimæ jejunium plurium ante Paſcha hebdomadum in uſu paſſim apud chriſtianos fuiſſe confitemur ; quo pertinent illa tam multa ab adverſariis laudata, Ambroſii, Baſilii, Gregorii & Nazianzeni & Nyſſeni, Cyrilli Hieroſolymitani, Chryſoſtomi, Epiphanii, Theophili Alexandrini, Hieronymi, Auguſtini, Paulini, Caſſiani, Maximi, Leonis, Chryſologi, Dorothei, Gregorii magni, & aliorum teſtimonia, quos omnes infrà annum quarti ſæculi ſeptuageſimum vixiſſe conſtat.

THEODORUS.

Iſtiuſmodi cogitatio in mentem, voce *quinquageſimæ* deluſam, hominis uſibus eccleſiæ Romanæ leviter aſſueti, faciliter irrepſit.

ARISTARCHUS.

En aliud exemplum proferam, quod difficiliùs irrepere debuit ex hiſtoriâ euchariſtiæ vernaculo ſermone ſcriptâ apud Batavos, typis impreſſâ anno M. DC. LXIX.

THEODORUS.

Auctorem novi: nomen habebat *de la Roque*; miniſterio fungebatur Quevilliaci propè Rothomagum; Græcam linguam percallere non reputabatur inter doctos proteſtantes, ſed criticus audiebat maximus & doctiſſimus.

ARISTARCHUS.

Conſtat reverà ejuſmodi hominem fuiſſe prorſùs lumine captum, aut Græcæ linguæ expertem, aut omni probitate caruiſſe. Id verò luce meridianâ clariùs

Digitized by Google

intelligitur ex loco Athenagoræ, quem prodidit pag. 405 *hiſtoriæ euchariſtiæ*, ex libro *de reſurrectione mortuorum*, pag. 46.. *Ny le ſang, ny le phlegme, ny la bile, ny les eſprits, c'eſt-à dire, tant vitaux qu'animaux, ne reſuſciteront point avec nos corps en la reſurection bienheureuſe, n'ayant point d'uſage pour la vie.* NEQUE *ſanguis, neque phlegma, neque ſpiritus, hoc eſt, tàm vitales quàm animales, reſurgent cum corporibus noſtris in reſurectione beatâ; quippè nihil ampliùs ad uſum vitæ conferentes.*

THEODORUS.

Ex his manifeſtè conſequitur, ſibi perſuaſiſſe Athenagoram, qui floruit anno Chriſti CLXX, corpora reviviſcentia poſt reſurectionem fore exſanguia, adeóque corpus Chriſti in euchariſtiâ

Digitized by Google

carere ſanguine vero & proprio; ſed in figurâ tantùm habere.

ARISTARCHUS.

Iſtud conſectaneum naturaliter exſurgit ex verbis Athenagoræ, ſi vera & incorrupta protuliſſet miniſter. Sed ex Græco textu quàm ſalſum ſit, & ab autographo alienum apographum, perſpectum eſt. Ait enim tantummodò, ſi alimenta à nobis in hac vitâ ſumpta naturæ humanæ non conſentanea reſurgant, etiam ſi in ſanguinem aut phlegma, aut bilem, aut ſpiritûs converſa ſint, non fore ad uſum vitæ conducibilia, quod omnes catholici fatentur: ἢ συνανισταμένου τοῖς ἀνισταμένοις. οὐδὲν συντελοῦντος ἔτι πρὸς τὸ ζῆν, οὐχ αἵματος, οὐ φλέγματος, οὐ χολῆς, οὐ πνεύματος. *Aut ſi unà conſurgat cum reſurgentibus membris,*

nihil ad uſum vitæ conferat, ſive ſit ſanguis, ſive pituita, ſive bilis, ſive ſpiritus. Autor diſquiſitionis *de ſanguine Chriſti poſt reſurrectionem*, impreſſæ Pariſiis anno M. DC. LXXXI. adverſùs Petrum Alixium Charentoni templi miniſtrum, hanc hallucinationem Larrocani ſatis ſuperque patefecit.

THEODORUS.

Reſponſionem Alixii expectamus, ab eóque ſperamus explicatum iri verba Athenagoræ, & vindicatum Larrocanum ab ejuſmodi crimine falſi; ſiquidem confidendum ſit promiſſis aut minis auctoris nunciorum reipublicæ literariæ. Verumtamen his opus non habeo; ſcio enim hominem linguæ Græcæ rudem & expertem facilè in errorem inci-

Digitized by Google

dere potuiſſe. Sed ejuſmodi contumelia in Salmaſium neutiquàm irrepſit.

ARISTARCHUS.

Equidem fateor me nunquam ejuſmodi ſphalmata in Salmaſio deprehendiſſe ; Græcè enim & Latinè ultrà quàm ſatis eſt ſciebat. Tantummodò ex operibus ejus obſervavi infinita loca patrum, ad concludendum in gratiam ſuorum errorum, per fas & nefas aſſumi , ex quibus contrarium colligere ad rectæ rationis amuſſim neceſſe foret. Sed ille vir, inter doctos proteſtantes maximus , tam cæco impetu adverſùs catholicos agebat , ut magis trita & vulgaria in Eccleſiâ Romanâ prorſùs neſciret, eique incogitabilia exprobraret.

Digitized by Google

THEODORUS.

Hoc prorſùs incredibile videtur de ſummo viro, in quo ſingularis probitas & ſapientia cum ſcientiâ & eruditione rerum omnium contendere videbantur.

ARISTARCHUS.

Eccum librum vides, olim ſcripſit adverſùs Grotium, *de transſubſtantiatione*, ſub nomine *Simplicii Verini*, in quo ſubjicit quaſi conſtans & manifeſtum, eccleſiam Romanam nullam cum vino miſcere aquam in ſacrificio miſſæ, immò verò prorſùs aquam repudiaſſe: quoniam catholicarum partium defenſores ejuſmodi aquæ in ſanguinem Chriſti converſionem intelligere non poſſent.

Digitized by Google

THEODORUS.

En locum in medio paginæ 301. Liber impreſſus fuit Agiopoli, typis Theodori Eudoxi, anno M. DC. XLVI. *Cur aquam*, inquit Salmaſius, *igitur ſuſtulerunt novi Romani? quia certè neſciebant quid illa facerent, cùm iſtam de transſubſtantiatione portentoſam opinionem commenti ſunt. Miraculo, cùm primis obeſſe videbatur hæc aqua. Quid enim? Ecce quidem vinum quod in ſanguinem Chriſti mutatione ſubſtantiæ, formæ & materiæ convertitur. Quid aqua? In quam ſpeciem & ipſa converti debuit? In aquam? Non opus ullo miraculo fuit ad hanc* μεταμόρφωσιν, *quâ fit aqua ex aquâ. Certè nihil in hac mutatione relictum loci fuit prodigioſæ transſubſtantiationi. Aqua enim cùm in aquam vertitur*,

Digitized by Google

non ſubſtantiam ſuam demutat, aut perdit; ſed fit id quod erat, nec amittit quod fuerat. Cur igitur ex duabus liquidis ſpeciebus in uno calice ſacramenti commixtis & confuſis altera, vinum nempe, ſubſtantiâ ſuâ excidit, in ſanguinis ſubſtantiam mutata altera, nempè aqua, permanet id quod erat, nempè aqua? Hîc exitum, quia non reperiebant, & ulcus erat quidquid attigiſſent, aquam ſuſtulerunt.

ARISTARCHUS.

Crediſne jam ejuſmodi hallucinationem excidiſſe Salmaſio? Ità ſe habent res humanæ? Vir totus Græcis ac Latinis characteribus hiſpidus, affectu partium Calviniſticarum inſtigatus & excæcatus, ardens animo, nulláque ratione tractabilis, perculſus & attonitus metu deſertionis immi-

Digitized by Google

nentis Hugonis Grotii, figmentis cerebri imaginoſi ac mendaciis ſeïpſum ludificat, & Eccleſiam Romanam obſcuro odio venenat.

THEODORUS.

Errores ejuſmodi quandam neceſſitatem habere videntur; non enim in ſapientiæ humanæ conſiliis, ſed in ſortis cujuſdam temeritate poſiti ſunt. Quippè Seldenus obſervat lib. *de diis Syris*. pag. 86, editionis anni M. DC. XXIX, Joſephum Scaligerum in rebus criticis generis humani terrorem maximum; citaſſe *Mercurium Triſmegiſtum* de ſortibus planetarum pro Hermete Ægyptio. Ejuſmodi ſphalmata apud ſcriptores eccleſiæ Romanæ magis addictos non deſunt. Paucis ab hinc diebus pater Harduinus, quo

Digitized by Google

amiciorem inter Jeſuitas non videntur habere proteſtantes, cerebro opinionibus novis & anticipatis occupato, prodidit locum Ratramni monachi Corbeïenſis, numero LVI, *de corpore & ſanguine domini*, in gratiam partis Calvinianæ, ex quo luce clariùs demonſtrat doctorem Sorbonicum prædicti Ratramni vernaculum interpretem ſpiſſè & incredibiliter deliraſſe. Quis enim noſtræ ſententiæ ſive Zuinglianæ patronum non exiſtimet, qui ait, corpus & ſanguinem Chriſti, quæ *creduntur* in euchariſtiâ, non in ſpecie, ſed in virtute exiſtere? Cùm è contrà dicat Ratramnus corpus & ſanguinem Chriſti, quæ *cernuntur*, non in ſpecie, ſed in virtute exiſtere. Enimverò cùm Romanenſes ſibi perſuadeant quæ cernuntur in euchariſtiâ non

Digitized by Google

exiſtere niſi in virtute, & non in ſpecie, ſed quæ creduntur, reverà & in ſpecie & in ſubſtantiâ propriâ exiſtere, Calviniſmi præconem fuiſſe Ratramnum neceſſe eſt, ſi quæ *creduntur*, in virtute exiſtere dixit, non in ſpecie: è contrà verò in Romanorum partibus ſubſtitiſſe opus eſt, ſi quæ *cernuntur*, non in ſpecie, ſed in virtute extitiſſe defendit. Hunc tamen locum ſic prodidit doctiſſimus Harduinus in gratiam reformatæ Eccleſiæ, diſſertatione *de ſacramento altaris*, in epiſtolam ſancti Joannis Chryſoſtomi ad Cæſarium monachum, pag. 184, quam publici juris fecit Pariſiis, typis Muguetii, anno M. DC. LXXXIX.

Digitized by Google

ARISTARCHUS.

Hæreo, fateor, & vix credo tantulam hallucinationem Harduini contra ſenſum Ratramni, & fidem omnium codicum manuſcriptorum & impreſſorum. Sed utcumque res ſit, ejus eſt ſuas partes tueri, & ſua ſphalmata diluere. De auctoribus qui in vivis ſuperſunt aliquando dicturi; de mortuis huc uſque, omiſſo Harduino, ſumus dumtaxàt conlocuti. Gerardus Joannes Voſſius vir ſupra mortalem doctus, lib. 2° *de hiſtoricis Latinis*, capite XXXV, pag. 318, ait Anaſtaſium bibliothecarium Gregorii IV, fuiſſe exautoratum in ſynodo Romanâ tempore Leonis IV, anno Chriſti DCCC. L, eo quod contra canonum decreta eccleſiam ſuam quinquennio deſeruiſ-

Digitized by Google

ſet. Prædictum Anaſtaſium bibliothecarium facit cardinalem tituli ſancti Marcelli, quod falſum exſurgit ex confuſione inconſideratâ Anaſtaſii bibliothecarii cum altero Anaſtaſio tituli ſancti Marcelli cardinali, reverà ſuâ amplitudine ſpoliato. In eundem errorem impegit Joſua Arndius in ſuo lexico antiquitatum eccleſiaſticarum, typis impreſſo, & publici juris facto Gripſvvaldiæ anno M. DC. LXIX, pag. 1056.

THEODORUS.

Ejuſmodi erratis veniam dare facile eſt; quæ nec impetu zeli pro religione, nec partium ſtudio tenaci effiunt; ſed quia omnibus hominibus falli & fallere à naturâ inſitum eſt, ſicut ſtatutum eſt ſemel mori, idem Gerardus

rardus Joannes Voſſius, libro 1°, *de vitiis ſermonis*, capite xxx, pag. 148, ait Sorbonam Pariſienſem inſtitutam fuiſſe à Roberto ſancti Ludovici IX, regis fratre. *Sorbona demùm*, inquit, *ante annos quadringentos*, *putà anno* M. CC. LII, *à Roberto divi Ludovici regis fratre fuit inſtituta:* cùm apud omnes conſtet fundatorem Sorbonæ fuiſſe preſbyterum diœceſis Senonenſis aut Remenſis, ex vico *Sorbona* dicto, oriundum parentibus ruſticanis, vitæ agreſtis & incultæ, ut Joinvillæus ſcriptor æqualis obſervat in vitâ ſancti Ludovici, pag. 10.

ARISTARCHUS.

Cavendum etiam eſt maximè, nè decepti ſimus auctoribus qui res alienas, aut peregrinitates tractant. Nam ejuſmodi erro-

Digitized by Google

rum non deſunt exempla. Nobis præſertìm ſuppeditat hiſtoria concilii Tridentini cardinalis Palavicini. Igitur aperi tomum ſecundum editionis Antuerpienſis, lib. XVI, cap. II, pag. 806: Ibi videbis illuſtriſſimum Lanſacum cum Pybraco & Ferrerio, regis Caroli IX. legatum ad patres concilii anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo-ſecundo, torque equitis Spiritûs ſancti exornatum. *Ludovicus à Sancto-Gelaſio Lanſaci dominus, & eques Spiritûs ſancti*; quamvis Ordo Spiritûs ſancti anno M. D. LXXIX, Kalendis Januarii inſtitutus fuerit ab Henrico III, ut patet ex chronico Genebrardi & infinitis aliis locis.

THEODORUS.

Animadverti etiam eundem

Digitized by Google

cardinalem tomo tertio ejuſdem hiſtoriæ lib. XXI, cap. XIII, pag. 583, anno M. D. LXIII, in notâ ad marginem libri ſcriptâ, vocare patrem Morinum congregationis Oratorii Gallicanæ preſbyterum, patrem congregationis Oratorii ſancti Philippi Neritenſis in Italiâ, cui nunquam nomen dederat.

ARISTARCHUS.

Similitudo nominum novum errorem peperit in eadem hiſtoriâ Palavicini, lib. XXI, cap. VII, tom: 3, pag. 526; in quo legimus Joannem Heſſelium doctorem Lovanienſ. quem cardinalis novitatis accuſat, & ſocietatis cum Michaële Bayo, dum haberetur concilium, Tridenti obiiſſe anno 1563, cùm de Joanne Haſſelio Leodienſi loqui velit, qui reverà Tridenti obiit

co anno. Joannes Heſſelius Lovanienſis, qui catechiſmum doctiſſimum compoſuit, & præceptor fuerat Cornelii Janſenii Yprenſis epiſcopi, ut ipſe teſtificatur libro VIII hiſtoriæ Pelagianæ, cap. VII, obiit Lovanii anno M. D. LXVI, tertio poſt finitum concilium Tridentinum anno. Alter verò Joannes Haſſelius Leodienſis ſcripſit opuſculum, ceû ſuffragium, *de abdicatione pœnitentiarii factâ per Nectarium epiſcopùm Conſtantinopolitanum*, typis impreſſum Lovanii inter conciones habitas in concilio Tridentino, anno M. D. LXVII. Scripſit etiam commentarium in epiſtolas ſancti Pauli, ſub nomine *Adami Saſbout* Franciſcani, publici juris factas, uti obſervant Eſtius in epiſtolam canonicam ſancti Jacobi, cap. IV, & Auber-

Digitized by Google

tus Myreus in ſuâ bibliothecâ.

THEODORUS.

Non ſola nominum ſimilitudo in ejus generis errores inducit, ſed idem & ſimilis in cadendo nominum ſonus efficit, ut quæ ſunt maſculini generis pro fœminеo habeantur. Quippè ſic apud ſanctum Hieronymum *Sunia* & *Fretela*, qui in terminationem fœmininam deſinunt & exitum habent, duæ illuſtres exiſtimantur matronæ, cùm duo viri Germani reverà ſint fortes & bellicoſi. Hunc errorem declinare non potuit noſtræ ætatis criticorum princeps Richardus Simonius, ſecundâ paginâ hiſtoriæ criticæ veteris teſtamenti, in quâ ſcriptam à ſancto Hieronymo epiſtolam ad Suniam & Fretelam, exiſtimat ad duas illuſtres

Digitized by Google

fuiſſe matronas, quam tamen ad duos viros è natione Germanicâ directam eſſe intelligimus ex ipſâ lectione epiſtolæ *Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua Hebraïcam quæreret veritatem, & dormitantibus, immò contendentibus Græcis, ipſa Germania Spiritûs ſancti eloquia ſcrutaretur? Dulcem calloſa capulum manus, digiti ſagittis tractandis aptiores ad ſtylum calamumque molleſcant, & bellicoſa pectora revertuntur in manſuetudinem christianam.* Quis enim hoc de mulieribus dictum intelligat? quas habere capulo enſis calloſas manûs prorſùs rarum & ſingulare eſt, tractandiſque ſagittis digitos aptiores & bellicoſa pectora. Hanc conjecturam ratio ſuadet in continuâ lectione textûs hujus epiſtolæ, & perſpecta veritas, quam con-

firmant vehementer duo veteres codices manuſcripti bibliothecæ Colbertinæ & abbatiæ ſancti Germani Pariſienſis à pratis, in quibus huic epiſtolæ titulus inſcriptus eſt, *Suniæ & Fretelæ fratribus*. Hos codices laudant monachi ſancti Benedicti doctiſſimi in præfatione quinti tomi operum ſancti Auguſtini.

THEODORUS.

Miror vehementer, Ariſtarche, quantâ neceſſe ſit mentis & voluntatis applicatione libros Græcè & Latinè ſcriptos legere, & quàm difficile ſit ab erroribus declinare.

ARISTARCHUS.

Non ſolâ nominum aut vocum ſimilitudine, aut ſonorum exitu, in errorem inducimur; ſed du-

plici ſignificatione, quâ mens noſtra ſæpiſſimè luditur, niſi ſenſu communi aut ratione præeunte ducantur lectores & librorum ſcriptores.

THEODORUS.

Jure meritò dicis, Ariſtarche, & in mentem revocas quod olim Vavaſſorius Jeſuita Rapino ſodali & amico ſuo objecit in animadverſionibus ſuis, ad obſervationes Rapini in artem poëticam, Pariſiis impreſſis, apud *Billaine*, in palatio regio, anno M. DC. LXXV. Dixerat Rapinus, obſervatione XXVIII, Euphranorem iviſſe Athenas, ut conſuleret profeſſorem, qui ſuis auditoribus Homeri Iliadem explicabat, ut ſcribit Apion grammaticus ex Euſtathio. At verò Euphranor pictor erat, qui cùm profeſſorem audi-

Digitized by Google

turus Athenas appuliſſet, &de Jove ab Homero deſcripto diſſerentem intellexiſſet, iconem Jovis ad normam & ideam Homerici tonantis pinxit, confeſtìm & illicò egreſſus è ſcholâ hujus profeſſoris: καὶ ἀπίων ἔγραψεν, *Egreſſus pinxit*: adeóque ἀπιὼν, quod eſt participium verbi ἄπειμι ſignificans *abeo*, *egredior*, fit hallucinatione Rapini, *homo grammaticus*, nomine Απίων. Et γράφω, quod ſignificat *pingo*, eo loci ἔγραψεν, *pinxit*: Sicut apud Socratem, *hiſtoriæ eccleſiaſticæ* libro 1. cap. 1. ζωγράφοι μὲν σανίσι καὶ τοίχοις τὰς παλαιὰς ἐγγράφοντες ἱστορίας. *Pictores quidam veteres hiſtorias in tabulis & in parietibus depingunt*, Anacreontem, pag. 72.

γράφε τὴν ἐμὴν, ἑταίρην;
γράφε μοι τρίχας τὸ πρῶτον
ἁπαλὰς τε καὶ μελαίνας.

Pinge mihi amicam: depinge molliores primum, nigroſque crines , ſumitur à Jeſuitâ pro γϱάφω, quod ex uſu recepto plerumque ſignificat *ſcribo*.

ARISTARCHUS.

Bene ac ſapienter, Theodore. Novi grammaticum Apionem: Vixit ſub imperio Tiberii, qui eum vocabat *cymbalum mundi*, cùm publicæ famæ tympanum potiùs videri poſſet, ut refert Plinius in præfatione hiſtoriæ naturalis. S. Juſtinus martyr de eo mentionem facit in *cohortatione ad Græcos*. Librum refutavit Joſephus ab eo ſcriptum adverſùs Judæos. Illi æqualis fuit fuit Philo Judæus. Sanctus Clemens Alexandrinus, libro v. *ſtromatum*, cap. XIV, & libro VII, cap. VIII, & libro X, cap. X, citat *hiſtoriam Ægypti*, ab eo grammatico con-

Digitized by Google

ſcriptam. Et Agellius, *noctium Atticarum* libro XI, capite XIV, vocat *Pliſtonicum*, hoc eſt, multis victoriis illuſtrem. Suidas verò obſervat præceptorem habuiſſe Euphranorem, lit. A, pag. 356. Verùm enimverò non ſolus pater Rapinus hac ancipiti ſignificatione verbi, γράφω deluſus eſt. Interpres anonymus homiliarum ſancti Joannis Chryſoſtomi in primam epiſtolam ad Timotheum, in morali homiliæ primæ, pag. 1524. hæc verba: καὶ ἐπὶ ναῶν ἡ σιγὴ ἄνωθεν ἐγέγραπτο, καὶ κατεῖχε τὸ στόμα, καὶ ἐπισφίγγουσα τὰ χείλη τοῖς παριοῦσι σιγᾶν παρῄνει, ſic Latinè reddidit: *Atque in templis ſuperne ſilentium inſcriptum eſt, continebatque digito os, & labia comprimebat, prætereuntes omnes ſilentii admonens*: vertendum erat, *ſilentium depictum eſt.* Nam luce meridianâ ap-

plicatæ menti clarius patet, eo loci ſanctum Chryſoſtomum ſpectare ſtatuam ceû figuram ſilentii depictam, quæ os & labia digito comprimebat. In ejuſdem generis errorem impegit interpres Latinus homiliæ ſancti Baſilii magni, ad initium *Proverbiorum Salomonis*, tomo primo, pag. 460, in quâ doctiſſimus Cæſareæ & Cappadociæ archiepiſcopus ait, tres artes, ſcilicet, *poëticam*, *rethoricam* & *ſophiſticon*, mendacium pro materiâ habere: ὧν ὕλη τὸ ψεῦδός ἐστιν, hæc verba de rhetoricâ: ῥητορικὴ ἄνευ τῆς ἐν τῷ λέγειν τέχνης, ſic traduxit: *Neque rhetorica ſine arte dicendi conſiſtere poteſt*, quod eſt rhetoricam ſine rhetoricâ conſiſtere non poſſe; cùm è contrà ſenſus ſit, rhetoricam ſine fallaciâ & mendacio ſtare non poſſe: quæ eſt vera hu-

jus vocis τέχνης ſignificatio, quemadmodum ſanctus Chryſoſtomus de fallaciis ac dolis militum factâ mentione, lib. iv, *de ſacerdotio*, cap. iv, appellat τῆς τέχνης τὰς ἰδέας.

Theodorus.

Hæc ſtrictìm breviterque demonſtrant, tàm opus eſſe theologo linguam callere Græcam, quàm verſiones Latinas ſcopulis & ſalebris laborare, in quas impingere neceſſe ſit.

Aristarchus.

Theologus linguæ Græcæ expers ſe mediam partem theologiæ neſcire fateatur neceſſe eſt. Enimverò hunc locum ſancti Clementis Alexandrini intelligere quàm difficile eſt, *pædagogi* lib. 2°,

Digitized by Google

cap. IV, ad initium, in quo mentione factâ comeſſationum, ſive conviviorum nocturnorum, quæ ſuæ ætatis chriſtianis vitare præcipit his verbis: ὁ μὲν γὰρ ἐστι μεθυστικὸς αὐλὸς ἅλυς ἐρωτικῆς χεδίας τῆς ἀδημονίας ὁ κῶμος.

THEODORUS.

Sic interpretatus eſt proximè elapſo ſæculo doctiſſimus eccleſiæ Remenſis canonicus Gentianus Hervetus, partium Romanarum defenſor fortiſſimus: *Eſt enim comeſſatio tibia inebrians, catena ratis amatoriæ.* Partium verò proteſtantium defenſor clariſſimus Daniel Heinſius hanc verſionem ſic reformavit: *Eſt enim hæc comeſſatio tibia inebrians extemporalis amatorii pontis impotentiæ catena.*

Digitized by Google

ARISTARCHUS.

An meliùs capis Latinum quàm Græcum ? Itanè licet de Græcis latinè deteriùs ſcribere, ut nec græcè, nec latinè intelligas ? Quid nos juvat ſcire, *comeſſationem eſſe catenam impotentiæ extemporalis pontis amatorii*, vel eſſe *catenam ratis amatoriæ ?* Quis tam inani verborum ſonitui ſenſum aliquem, aut aliquam ſententiam ſubjicere poteſt ?

THEODORUS.

Memini olim legiſſe librum non indocti Jeſuitæ Ludovici Creſſolii Aremorici, ſub titulo *myſtagogi*, ſexaginta abhinc annis impreſſum Pariſiis anno M. DC. XXIX, apud Sebaſtianum Cramoiſy : in quo hujuſce loci explicatio non contemnenda oc-

Digitized by Google

currit. Paginâ ſcilicet 367 lib. II. defendit Jeſuita totam difficultatem exſurgere ex intelligentiâ & notitiâ hujus vocis χεδία, quæ eo loci non ſignificat *pontem extemporalem*, neque *ratem*, ſed *congreſſum amatorium.* Hoc probat autoritate Varini, qui ait χεδίαν eſſe συνάφειαν & κοινωνίαν, ſive *contactum* & *conjunctionem.*

ARISTARCHUS.

Equidem exiſtimo, re penetratâ & accuratè excuſſâ, ejuſmodi ſenſum attigiſſe Jeſuitam, quamvis argumenta ejus non convincant χεδίαν ſignificare *congreſſum amatorium*: Sed ejus luce facile eſt verſionem Gentiani Herveti in aliquem ſenſum reſtituere, *ſi navem amatoriam* ad ſignificandam χεδίαν ἐρωτικὴν ſubjiciamus.

ciamus. Nam σχεδία apud Scapulam, navim quæ ſubitò & tumultuariè fit, ſignificat: Et αὐτοσχεδιάζειν apud Harpocrationem temerè affirmare pag. 39, edit. Lugd. Batavor. anni M. DC. LXXXIII. Et apud Evagrium ſcholaſticum, libro VI *hiſtoriæ eccleſ.* capite XIII: ςιβάδων ἐπὶ τῆς πόας σχεδιαζομένων. *Thoris ex gramine tumultuariè compoſitis.* Apud Philoſtorgium, libro XI *hiſtoriæ eccleſiaſticæ*, pag. 531. ταῖς σχεδίαις διαπεραιοῦσθαι, *ratibus trajiceret*: ταῖς σχεδίαις διαφθείρει, *navibus confecit*: Cùm autem medici τὸ αἰδοῖον muliebre *navim* appellare ſoleant, ut intelligimus ex Thomâ Bartholino, libro primo *anatomiæ*, cap. XXXII, & ex tractatu Plazzonii doctoris medici Patavini, *de partibus generationis*, cap. 2°; in quo obſervat, Juliam, filiam Auguſti, Agrippæ

conjugem, hortum muliebrem *navim* feſtiviſſimè vocaſſe: Senſus ſancti Clementis Alexandrini erit, comeſſationes eſſe catenas, quæ homines navi amatoriæ, ceû pudendo muliebri, devinciunt, hoc eſt, mulieroſos efficiunt, & ſordibus venereis, cum conſectanea ex his magna ψυχῆς ἀδημονία agglomerant.

Niſi fortè Clemens Alexandrinus, ad πόρθμιον ἐρωτικὸν, ceû *lintrem* aut *celebrem ratem amatoriam* illam reſpicere & alludere velit, de qua mentio apud Plutarchum, in qua Cleopatra Lydium flumen tranavit, ut cum Antonio comeſſatum iret; de qua rnmor manavit apud omnes, ut refert Plutarchus in *vitâ Antonii*, pag. 927, lit. C, Venerem ad ſalutem Aſiæ veniſſe apud Bacchum comeſſatum: καὶ τις λόγος

ἐχώρει διὰ πάντων; ὡς ἡ ἀφροδίτη κωμάζοι παρὰ τὸν Διόνυσον ἐπ' ἀγαθῷ τῆς Ἀσίας. Linter enim ille, quem πέρθμιον vocat Plutarchus, σχεδίας ἐρωτικῆς, ceû ratis amatoriæ figuram ac formam præ ſe ferebat. Habebat enim auratam puppim, vela purpurea, navigium argenteum, ductum remis ad tibiarum, fiſtularum & cithararum modos. In eâ recumbebat Cleopatra ſub conopeo auro intexto eleganter exculta, ut pingitur Venus, adeoque valdè credibile & probabile eſt, Clementem Alexandrinum, famoſam comeſſationem, propter quam ejuſmodi ratis conſtructa repentè fuerat, & tumultuariè: ἄλυσιν τῆς σχεδίας ἐρωτικῆς τῆς ἀδημονίας, nuncupaſſe catenam *ratis amatoriæ* in triſtitiam degenerantis, ut infinita mala ex comeſſationibus exorta, velut faſti-

dioſa libidinum irritamenta, in proſpectu chriſtianorum poneret, adeóque animum eorum ab ejuſmodi laſciviis, ceû conviviis ſalacibus, ac cibis venerem concitantibus, averteret.

THEODORUS.

Sed his non mihi videtur, quamvis ingenioſè & ſubtiliter dictis, penitùs exhauſta difficultas: nam vox ἄλυς nihil ſignificat.

ARISTARCHUS.

Reverà fortè prudenter Jeſuita ingenioſus legendum putat ἄλυσις, quod ſignificat *catenam*, loco ἄλυς, quod quidem ſignificat anxietatem animi, ſicut ἄλυσις & ἀλυσμὸς, & eſt ſpecies quædam catenæ, quâ conſtringitur animus. Vides ergo quàm loca difficilia & ſale-

Digitized by Google

broſa apud patres reſtituere neceſſe ſit, ſi Græcæ theologiæ intima penetrare velimus.

THEODORUS.

Non tot ſalebris aut difficultatibus horreſcunt lucubrationes ſancti Chryſoſtomi, & aliorum patrum Græcorum, quot laborant *ſtromata* & *pædagogus* ſancti Clementis Alexandrini.

ARISTARCHUS.

Nullum invenies his ſalebris liberum & difficultatibus expertem; ſi Latinis interpretibus confidere velis. Sed in Chryſoſtomo immoremur.

THEODORUS.

Ejus lectio doctoribus & con-

Digitized by Google

cionatoribus magis eſt familiaris & vulgata, ipſumque rectè intelligere potiſſimè opus eſt.

ARISTARCHUS.

Doctiſſimus Gentianus Hervetus, interpres homiliarum ſancti Chryſoſtomi in epiſtolam Pauli ad Epheſios, homiliâ tertiâ in cap. III, pag. 1051, explicans hæc verba, ἐν τοῖς ἄλλοις καιροῖς οὐδὲ καθαροὶ πολλάκις ὄντες προσέρχεσθε· ἐν δὲ τῷ πάσχα κἂν ᾖ τι τετολμημένον ὑμῖν, προσίτε; prorſùs contrarium ori S. doctoris inducit de communione euchariſtiæ. *In aliis temporibus, cùm ne mundi quidem ſitis, acceditis: in Paſchate autem, etiam ſi aliquod ſcelus à vobis ſit admiſſum, acceditis*; cùm genuinus ſenſus ſit: *In aliis temporibus, cùm mundi ſitis, non acceditis; in Paſchate au-*

tem ; cùm ſcelus à vobis admiſſum eſt, acceditis. Græci textûs ſinceritatem ſecutus eſt Antonius Arnaldus doctor Sorbonicus, in libro vernaculè ſcripto ſub titulo *traditionis Eccleſiæ de pœnitentiâ & communione*, pag. 180, non eluſus verſione Gentiani Herveti. His erroribus ſcatent ferè omnes interpretes ſancti Chryſoſtomi.

THEODORUS.

Indica nobis, quæſo, ejuſmodi interpretum errores; gratificabere nobis maximè. Obſervavi olim Franciſcum Aretinum interpretem homiliæ XXXIV, ſancti Chryſoſtomi in caput IV evangelii ſancti Matthæi ſic reddidiſſe hæc verba, μιμησώμεθα τοίνυν τὴν γυναῖκα καὶ ἡμεῖς, καὶ ἐπὶ τοῖς οἰκείοις ἁμαρτήμασι μὴ αἰσχυνώμεθα ἀνθρώπους.

Hanc nos imitemur mulierem, & in peccatis quæ commiſimus confitendis neminem timeamus: quibus addidit *confitendis*, deditâ operâ, ad probandam ætate ſancti patris uſu receptam aſceſim confeſſionis auricularis.

ARISTARCHUS.

An eo conſilio interpres id adhibuerit haud ſcio, ſed perperàm feciſſe mihi videtur; ſiquidem tam imbecillis argumentis veritas confeſſionis auricularis non indigeat. Utcumque res ſit, additam fuiſſe hanc vocem *confitendis*, non dubitandum eſt. Nollem etiam hoc verbum αἰχυνώμεθα reddi per hoc, *timeamus*, ſed potiùs *non nos pudeat coram hominibus peccatorum noſtrorum.* Sed graviora ſphalmata his interpretibus debent & poſſunt objici. Inter-

pres anonymus homiliæ III, in caput primum epiſtolæ primæ ad Timotheum, pag. 1534, in medio ſic explicavit hæc verba, ὥσπερ γὰρ οἱ βαστάζοντες τὸ σημεῖον τὸ βασιλικὸν ἐν πολέμῳ τὸ λεγόμενον τῇ συνηθείᾳ λάβαρον, πολλῆς δέονται τῆς ἰσχύος. *Quemadmodùm enim hi qui in bello regia ſigna circumferunt, ut moris eſt, magnis laboribus indigent.* Porrò in his hanc vocem λάβαρον, non intellexit, quæ nomen proprium indicat *vexilli* quod in bello coram imperatore circumferebatur, quod in crucem mutari juſſit Conſtantinus, poſtquàm crux ei in cælo apparuit, de qua mentionem facit Tertullianus cap. XVI *apologetici.* Sozomenus, libro primo eccleſiaſticæ hiſtoriæ, cap. IV. Hæc igitur verba ſic meliùs ad ſignificandum ſenſum Chryſoſtomi vertenda ſunt. *Quemadmodum*

Digitized by Google

enim hi qui ſignum regium in bello dictum ex conſuetudine labarum circumferunt, multis viribus indigent. Sozomenus ait; τὸ παρὰ Ῥωμαίοις καλούμενον λάβαρον. Interpres Dorothei in eundem errorem lapſus eſt. Cùm enim Theodorus dicitur ἡγούμενος στουδίου, hoc eſt, *moderator monaſterii Studienſis*, ait interpres, *qui ſtudiorum omnium eruditione ac ſapientiâ præcellere putabatur*; adeóque literas & ſtudia cum monaſterio confundit, quod civis Romanus cognomine *Studius* ædificaverat & inſtituerat Conſtantinopoli. Ipſum verò eſt quod tempore Conſtantini Copronymi combuſtum fuerat, & ſolo adæquatum. Bernardus Brixianus auctor verſionis Latinæ homiliarum ad populum Antiochenum, curâ & ſtudio patris Frontonis Ducei Jeſuitæ doctiſſi-

mi emendatæ, & publici juris factæ anno M. DC. XXXVI, hæc verba de bonis Græcis deteriùs latinè ſcripſit: καὶ καθάπερ οἱ γενναῖοι τῶν ἀριστέων οὐ συμπλακέντες τοῖς ἐναντίοις, ἀλλὰ καὶ φανέντες ἐπὶ τῆς παρατάξεως μόνον καὶ βοήσαντες τρέπονται τοὺς ἀντιπάλους. *Et ſicut generoſi bellatores non tantùm adverſarios complexi, ſed etiam viſi tantùm in acie & vociferati adverſarios convertunt.* Ex his videntur generoſi bellatores inimicos complecti velut amicos, & eos in ſui gratiam convertere: Cùm è contrà ſenſus ſit; quod *ſicut generoſi bellatores cum hoſtibus manus non conferentes, ſed tantùm conſpectu eos in fugam convertunt.* Quippè cùm ſanctus Chryſoſtomus laudibus exornet virtutem monachorum, qui ſuo conſpectu & ſermonibus mixtam ſeditionibus civitatem Antioche-

Digitized by Google

nam ad pacem & quietem adduxerunt, non confertis manibus, ut in acie & bello fieri ſolet. Accuratiſſimè interpretatus eſt amiciſſimus noſter D. Maucroix canonicus Remenſis verſione Gallicâ hunc Græcum textum, poſtpoſitâ verſione Bernardi Brixiani. Reverà enim συμπλέκειν, non *complecti* inimicum, ſed cum eo manus conferre, ceû depræliari ſignificat. Hoc intelligitur ex Polybio, pag. 649. γινομένης συμπλοκῆς, *cùm ventum eſt ad manus*: Et ex Plutarcho, in vitâ Themiſtoclis: συμπλεκέσθαι τοῖς πολεμίοις ἐῤῥωμένως: Et in Fabio; ἀῦθις συμπλεκέσθαι πρὸς Ἀννίβαν. Interpres anonymus, de quo jam locuti ſumus, non leviter adhuc hallucinatus eſt in verſione homiliæ primæ in primam epiſtolam ad Timotheum, pag. 1569, explicans

Digitized by Google

hæc verba, quæ officia paſtorum & epiſcoporum ſpectant : διεγηγέρθαι χρὴ καὶ ζεῖν τῷ πνεύματι καὶ πῦρ πνεῖν ὡς εἰπεῖν καὶ μᾶλλον στρατηγοῦ. *Decet eſſe pervigilem eum qui ejuſmodi eſt ac ſpiritu vivere , & affectûs ſui flammam operibus ipſis oſtendere , duceſque omnes ſollicitudine atque induſtriâ ſuperare.* Quæ quidem ſic meliùs & magis ad ſenſum auctoris verti debent : *Oportet vigilare , ſpiritu fervere & ignem ſpirare magis quàm ducem exercitûs.* Ambroſius Florentinus præfectus generalis Camaldulenſium , qui trecentis ab hinc annis floruit, interpres homiliarum ſancti Chryſoſtomi in epiſtolam ad Titum , hæc verba homiliæ tertiæ in caput primum,pag. 1707, οἱ γὰρ ἀθηναῖοι ἐπειδὴ οὐκ ἐξ ἀρχῆς τοὺς θεοὺς πάντας παρέλαβον , ἀλλὰ κατὰ χρόνους, καὶ ἄλλους τινὰς ὡς τὰ ἐκ τῶν ὑποφ-

βορέων ὡς τὰ τοῦ πᾶνος, ἀλλὰ μυεῖα ἐπήγαγον, ſic explicuit: *Athenienſes namque, quoniam ab initio deos omnes non acceperunt, ſicut quæ ex Hebræis allata referuntur, ſicuti Pan ex Arcadia, ſicut parva quælibet & antiqua myſteria.* Ex quibus intelligis Hebræos pro ſeptentrione aſſumi; quippè ſic verti oporteret: *Athenienſes enim, quoniam non ab initio omnes deos receperunt, ſed ſecundùm tempora, & alios quoſdam, ſicuti ex hyperboreis, ſicut Pan, ſicut & alia infinita induxerunt.* Nunquam enim ὑπὲρ βορέων ſignificaverunt *Hebræorum*, nec μυεῖα *myſteria*, aut *parva quælibet ac magna.* Idem interpres errat iterùm paginâ ſequenti 1714, in caput ſecundum ejuſdem epiſtolæ ad Titum, homil. IV, ad hæc verba: ἔστω δὲ κοινὸν πᾶσι διδασκαλεῖον καὶ ὑπό-

δεῖγμα ἀρετῆς ἡ τοῦ σοῦ βίου λαμπρότης. *Sit omnibus doctrina, exemplarque virtutis ſuæ ſpeculum vitæ*; quæ ſic interpretari opus eſſet: *Sit omnibus communis doctrina, & exemplar virtutis tuæ ſplendor*: Nunquam enim λαμπρότης ſignificavit *ſpeculum*. In dialogis Palladii, *de vitâ ſancti Chryſoſtomi*, quos interpretatus eſt idem Ambroſius, multa adſcititia, interpolata & omiſſa obſervavit, & contra textûs Græci ſinceritatem ſcripta autor libri *de antiquis & majoribus epiſcoporum cauſis*, Leodi impreſſi anno M. DC. LXXVIII, quæ abundanter patent ex novâ & accuratâ verſione doctiſſimi Emerici Bigotii, impreſſâ Pariſiis anno M. DC. LXXX. Denique Anianus celeberrimus operum ſancti Chryſoſtomi interpres, his erroribus & hallucinationibus

Digitized by Google

expers non fuit, quod ultrà quàm opus perſpectum eſt ex verſione homiliarum in ſanctum Mattheum, quartâ ſcilicet homiliâ in 1, caput ſancti Matthæi, pag. 40., in qua hæc verba incurrunt: καὶ τῷ μὲν Ναβουχοδονόσορ οὐχ εἰκὼν τοσαύτη, οὐ σατράπαι οὐ στρατηγοὶ, οὐ στρατόπεδα ἄπειρα, οὐ χρυσίου πλῆθος, οὐκ ἄλλη φαντασία πρὸς τὴν ἐπιθυμίαν ἤρκεσε τοῦ δόξαι μέγαν; quæ ſic in Latinum convertit. *At illi quidem Babylonio regi non illa ingens & auro fulgens imago, non præfecti regionum, duceſque militiæ, non innumerabilis & bellator exercitus, non auri argentique ſtupenda congeſtio, non aliud quidpiam quod excogitare potuit, ejus ambitioni ad magnum illum efficiendum prodeſſe potuerunt.* Nam ἄλλη φαντασία, neutiquàm ſignificat *aliud quidpiam quod excogitare potuit*, ſed

ſed apparatum & pompam ſæcularem.

THEODORUS.

Da veniam, Ariſtarche, non poſſum aſſentiri tibi; quippè cùm eadem homiliâ, pag. 41, hæc vox φαντασία, quidquid imaginoſo cerebro fingi poteſt, ſignificet: ἀλλὰ μὴ προσέχωμεν τοῖς τυμπάνοις, μηδὲ τοῖς αὐλοῖς; μηδὲ ταῖς κινύραις, μηδὲ τῇ λοιπῇ τοῦ πλούτου φαντασίᾳ: *Sed neque aut ſonitus tympanorum aut tubarum, citharæque concentus, & reliqua divitiarum quæ fingi aut excogitari poſſunt, incentiva nos commoveant.*

ARISTARCHUS.

Optimum quidem ſenſum hæc verſio exprimit, ſed ab autographo Græco alienum: Nam eo loci φαντασία ſignificat ſimiliter

pompam & *apparatum divitiarum*. Anianus ab hujus vocis verſione eo loci declinavit.

THEODORUS.

Quid vis, Ariſtarche? Noſtrâ ætate neminem hominem novi, qui accuratiùs linguam Græcam percalluerit doctiſſimo Tanaquillo Fabro profeſſore Academiæ Salmurienſis: Verùm hic vocem φαντασία non *in pompam* & *faſtum* convertit apud Longinum, cap. quinto, περὶ ὕψους, ubi factâ mentione judicii de lucubrationibus poëtarum & oratorum ferendi, ait, mentes noſtras eludi non debere verbis quibuſdam inflatis, & plus æquo turgeſcentibus ex phantaſiâ prolatis & diſpoſitis: μή τινα μεγέθους φαντασίαν ἔχοντα, quæ ſic convertit Faber, *ne quam magnitudinis phantaſiam præ ſe ferentia*.

Digitized by Google

ARISTARCHUS.

Abſit hoc, Theodore chariſſime : doctiſſimus Tanaquillus Faber, partium proteſtantium grammaticus celeberrimus, cum aliis in errorem inductus eſt; difficultatem ſubtiliter declinare voluit, cùm φαντασίαν Græcam, in *phantaſiam* Latinam convertit. Longini interpres Gallicus *Bevilaqua de Prateolis*, ad verſionem Latinam Tanaquilli Fabri non attendit; dicitque, non pro ſublimi reputandam neſcio quam magnitudinis ſpeciem ampullis verborum turgeſcentium temeritate ſortis diſpoſitorum ſuſtentatam; quam reverà magnitudinis pompam, ceû tumorem inanem, appellare poſſumus. Hæc eſt enim vera vocis φαντασία ſignificatio, præſertìm apud ſanc-

tum Chryſoſtomum.

THEODORUS.

Non tibi deerunt exempla, Ariſtarche, nam tibi omnis generis familiaria ſunt & ſuppetunt.

ARISTARCHUS.

Reverà ſuppeditabo faciliter. Evolve librum, & quære homiliam octavam ad populum Antiochenum, pag. 102; in qua pater Frontoduceus, emendatâ verſione Bernardi Brixiani, hæc verba οὐ γὰρ δὴ ἑώρα τὸ διάδημα καὶ τὴν ἔξωθεν φαντασίαν τοῦ βασιλέως, ſic interpretatus eſt de prophetâ Heliâ: *Non enim ſpectabat diadema & exteriorem regis ſplendorem.*

THEODORUS.

Dubium non eſt eo loci φαν-

ταςίαν non ſignificare *quicquid excogitari poteſt*, ſed *pompam & ſplendorem.*

ARISTARCHUS.

Perge ulteriùs, & hæc verba homiliæ XVI ad populum Antiochenum perlege, pag. 186: καὶ πρὸς τὴν κοσμικὴν φαντασίαν ἐπτόηται, δόξης ἐρᾷ τῆς παρούσης. *Ad mundanam vanitatem ſtupet, gloriam præſentem amat.* Et inſuper hæc homiliæ, XIX ad populum Antiochenum, pag. 213. καὶ πάσης ἀνώτεροι βιωτικῆς ἐγένοντο φαντασίας παιδευθέντες παρὰ τῆς θείας γραφῆς. *Et omni ſæculari pompâ ſuperiores redditi à divinâ ſcripturâ.* Adjunge his homiliam LXXIII, de ſancto martyre Barlaam, pag. 790, in fine: καταγέλασον πλούτου καὶ χρημάτων, καὶ τῆς ἄλλης ἁπάσης τοῦ βίου φαντασίας. *Aſpernare divitias & pecunias, & om-*

nem reliquam vitæ pompam. Sed hæc ultrà quàm ſatis eſt; quæ poſſunt acceſſionibus cumulari in verſum VII pſalmi CX; in pſalm. CXX, homil. VII; in epiſtolam I. ad Timotheum, pag. 363. homil. CXX tomi VII, *de ultimo judicio*; homil. XXXIII in epiſtolam ad Romanos.

THEODORUS.

Objeciſti nuper illuſtrem interpretem Longini *Bevilaquam de Prateolis*; nunc verò ut rependam tibi, adducam cognitiſſimum interpretem homiliarum S. Chryſoſtomi in Matthæum, ſingulari & commendatione dignum, *Marſilium*, qui explicans in homiliâ quartâ ſuper caput primum, φιλοπαισίαν, non in *pompam* aut *ſplendorem divitiarum*, ſed *incentiva earum & illecebras* convertit.

Digitized by Google

Aristarchus.

Cognitiſſimus ille Marſilius mihi eſt incognitus. Utcumque ſit, melius ei fuiſſet Græcum textum, quàm Latinum vertere. Sanctus Baſilius eâ voce φαντασία, ad ſenſum ſancti Chryſoſtomi uſus eſt homiliâ *in diteſcentes*, pag. 395, in fine: ἐκεῖνος πρὸς τὰς ἔξωθεν φαντασίας ὑπηρετείτω. *Ille præſto ſit ad externam pompam*: ſicut & ſanctus Lucas, cap. xxv Actuum Apoſtolorum, verſ. xxiii; μετὰ πολλῆς φαντασίας, quæ Vulgata interpretatur, *cum multâ ambitione*, id eſt, *cum multo apparatu & pompâ.*

Theodorus.

Marſilius erat unus è Portûſregii theologis. Verſio homiliarum ſancti Chryſoſtomi in Mat-

thæum impreſſa fuit Pariſiis typis *Petri Parvi*, ſub ſigno crucis aureæ: in eâ cum elegantiâ ſermonis Gallici contendunt accuratio interpretis & fidelitas.

ARISTARCHUS.

Verumtamen cùm loca difficilia occurrunt in textu Græco, fidus interpres eleganter ea prætermittit in verſione Gallicâ; & cùm ſenſum auctoris aſſequi nequit, fortaſſè meliorem, ſed alienum liberaliter ſubſtituit. Id abundanter patet ex homil. LXIV in Matthæum; in qua propoſitâ differentiâ inter acervum, ceû cumulum fimi & auri, fimum utiliorem auro defendit, quippè ad terræ cultum & fœcunditatem procurandam aptiorem; ἡ μὲν γὰρ πρὸς γεωργίαν ἐπιτήδειος καὶ πρὸς βαλανείου ἔκκαυσιν: *Ad agri-*

Digitized by Google

culturam aptus eſt, & reliqua difficiliora, καὶ πρὸς βαλανείου ἔκκαυσιν prætermiſit, non intelligens qua ratione fimus ad calorem balnei conducibilis ſit. Anianus interpres: *Nam tum ad balnea ædificanda utilis eſt:* ſed rem non meliùs explicat. Non enim facile eſt mente aſſequi quâ pariter ratione ad balneorum ædificationem fimus utilis ſit.

THEODORUS.

Non intelligo meliùs, Ariſtarche, quì fimus ad balnei calorem aptus ſit, quàm ad ædificationem. Stercora enim ad conſpurcanda balnea tantummodò videntur idonea; calor enim balneorum olim procurabatur igne cupis æneis ſuppoſito, uti intelligimus ex Vitruvio, lib. v, *Architecturæ*, cap. 10.

Digitized by Google

ARISTARCHUS.

Reverà apud veteres aquæ balneorum calefiebant igne, ut refert eo loci Vitruvius; ſed inſuper, ut ex eo intelligimus, quod ne calor exhalatione ſe allevaret, & in vaporem reſolveretur, ſolebant ſtupeo quodam fimo, ceu terrâ craſſâ lamiâ, lutoſâ & pingui, cum tomento mixtâ, obturare fornicis hiatûs, ceû rimulas oppilare, fornicis ſcilicet, ex tignis ligneis & trabibus compacti, quales habere ſolebant balnea communia & plebeïa, quas poſteà faber murarius conveſtiebat opere inteſtino, ceû tectorio, aut gypſo incruſtabat, quo faciliùs retunderetur calor ſurſùm exhalatione ſe reſolvens. Hac arte ſolent ætate noſtrâ hortulani oppilare fornices locorum, in qui-

Digitized by Google

bus brumâ recurrente, in tuto collocant à frigore mala punica & atlantea, gelſiminum Iberum, rodophanem, ac pumilas arbores, quas parietum apricaticatione calefaciunt, obturatis fimo ac ſtupeis paleis rimulis aſſularum, ex quibus lacunaria ſuperiora tabernarum ſuarum ſternuntur. Vides ergo jam, Theodore, qua ratione dicat Chryſoſtomus, κόπρον ἐπιτήδειον πρὸς βαλανεῖον ἐκκαυσιν, fimum aptum eſſe ad conſervandum calorem balnei.

THEODORUS.

Docti & ingenioſi videtur eſſe interpretis, ea prætermittere in verſione, quæ in autographo non poſſunt intelligi. Plerumque lingua Latina adeò ſterilis eſt, ut vocibus ac vocabulis careat, qui-

Digitized by Google

bus Græca reddere confeſtìm & exprimere poſſit. Id obſervavit non paucis ab hinc annis ſanctus Hieronymus in caput primum epiſtolæ ad Epheſios, occaſione datâ hujus vocis περιποιήσεως, latinè inexplicabilis, quam Vulgata explicat per vocem *acquiſitionis*, verſ. 14° hujus primi capitis, *pignus hæreditatis noſtræ in redemptionem acquiſitionis*. Sic capite XIX Geneſis, & lib. IV Regum, cap. VI. ἀορασία vocatur *cæcitas*, cùm lingua Latina vocabulo ad eam exprimendam ἀορασίαν careat. Reverà enim Sodomitæ & hoſtes Eliſei cæci ac lumine capti non erant. Idem ſanctus Hieronymus interpretes epiſtolarum ſancti Pauli, eodem prorſùs modo reddidiſſe hæc verba, περιφρονεῖν & καταφρονεῖν, obſervat; μηδείς σου περιφρονείτω: *Nemo te contemnat*: capite 2° epiſtolæ

ad Titum, verſ. 15. & *μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω*: *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat.* I. ad Timotheum, capite 4, verſ. 12. Quippè cùm præter verbum *contemno*, nullum linguæ Latinæ ſuppetat, quamvis ὑπερφρονεῖν ſignificet non ſolùm *contemnere*, ſicut καταφρονεῖν, ſed *contemnere cum majore ſui æſtimatione præ ſuperiori.* Hac ratione inſtigatus doctiſſimus abbas Jacobus Billius, in oratione XXVII ſancti Gregorii Nazianzeni, pag. 466, initio, hanc vocem πανηγυρικὸν in ſua verſione prætermiſit: *ὡς δὲ μὴ ἰταμὸν ἡμῶν, μήτε βίαιον, μήτε θεατρικόν τε καὶ πανηγυρικὸν*: *Quam quod nos nec præcipites & importunos, nec violentos, nec ad theatricam quandam oſtenſionem compoſitos.*

ARISTARCHUS.

Non adeò ſterilis eſt verborum & locutionum lingua Latina, ut ad hanc omiſſionem adſtrinxerit tam doctum & caſtigatum interpretem.

THEODORUS.

Non difficile, fateor, erat hanc vocem πανηγυρικὸν interpretari. Doctiſſimus Henricus Valeſius in verſione capitis ſecundi lib. VII hiſtoriæ eccleſiaſticæ Socratis non omittendam duxit. Ibi enim factâ mentione de Attico Conſtantinopolitano, hæc verba ἐξ αὐτοσχεδίου καὶ πανηγυρικωτέραν τὴν διδασκαλίαν ἐποιεῖτο, ſic latinè reddidit: *Ex tempore loqui, & panegyricam concionandi rationem ſectari cœpit.*

Digitized by Google

ARISTARCHUS.

Ejuſmodi interpretatio ſub intelligentiam non cadit : nam panegyricum latinè non plus ſonat quàm πανηγυρικωτέραν græcè, ſicut phantaſia latinè non plus explicat quàm φαντασία græcè : Senſus igitur Socratis eſt, *Atticum repentè politiorem dicendi rationem cœpiſſe.* Sic Philoſtorgius hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib. vi, ex excerptis Photii, mentione factâ ſectatorum Eunomii, ait : ἔστι δὲ καὶ αὐτοῖς ἡ φράσις ἐν τούτοις πανηγυρικῆς χάριτος ἀπηλλοτριωμένη, ἀσαφεία δὲ καὶ περιττολογία, καὶ ῥημάτων οὐ καθαρῶν παρεγχείρησις εἰς τὸ ἀτερπέστατον καὶ καταγέλαστον καὶ τεταραγμένον εἶδος ἀνοιδουμένη, καὶ τὸν τῆς ψυχῆς γνόφον καὶ σάλον, καὶ τὸ θεοβλαβὲς ἐνδεικνυμένη ; quæ ſignificant : *Porrò genus dicendi quo illi tunc uſi ſunt, à poli-*

tiore venuſtate alienum fuit, ut patet ex continenti ſermone; & *vocabulorum impurorum uſu tumidum : ad ingratum & ridiculum & confuſum caracterem pertinens, mentis eorum caliginem ac perturbationem, inflictamque à Deo ipſis pœnam perſpicuè declarans*. Hæc eſt igitur propria hujus vocis πανηγυρικωτέραν ſignificatio, *Stylus* ſcilicet *politior*, terſum pictumque dicendi genus ad pompam & deliniméntum auditorum compoſitum. Ode panegyrica vocabatur ſpecies quædam Lyricæ politioris, in gratiam heroüm compoſitæ. Etimologia hujus vocis interpretationem facit difficilem. Sed miror viros doctos & peritos in locis planis & adæquatis ceſpitare animo ſæpè diſtento, & à cogitationibus attentis abſtracto.

THEO-

THEODORUS.

Erratorum iſtiuſmodi genus rarum & inſolens mihi videtur.

ARISTARCHUS.

Attamen exempla non deerunt virorum catholicorum & hominum proteſtantium, quorum animus ab attentione abſtractus ad hallucinationes ſingulares & futiles deflexit. Non ignoras, Theodore, Volfgangum Muſculum, ſæculo proximè elapſo ſynopſim ſacræ ſcripturæ ſancto Athanaſio græcè adſcriptam latinè convertiſſe?

THEODORUS.

Novi hominem: erat inter proteſtantes miniſtros Argentinæ doctiſſimus

Digitized by Google

ARISTARCHUS.

Cur igitur ſibi finxit hanc vocem δεύτερος ſignificare *tertium*, & non *ſecundum*?

THEODORUS.

Nova & incredibilia profers.

ARISTARCHUS.

Lege hanc ſynopſim prophetæ Micheæ: Numquid non hæc verba, οὗτος δεύτερος μὲν τῶν προειρημένων γέγονεν, ſic interpretatus eſt: *Iſte quidem tertius ex prædictis fuit.*

THEODORUS.

Hæc dubio-procul hominibus non cogitantibus excidere ſolent, dum prima ſpecimina typographica è prælo recentia corrigunt, uti accidiſſe doctiſſimo Valeſio obſervaſti, qui ἓξ non in

Digitized by Google

ſex, ſed in *quatuor* convertit.

ARISTARCHUS.

Sed eſto ità ſe res habeat, à te libenter percontarer, cur hæc verba in prophetam Amoſum in eadem ſcripturæ ſynopſi: ἀλλὰ καὶ Ἀμασίου τοῦ ἱερέως Βαιτὴλ διαβάλλοντος αὐτὸν τῷ βασιλεῖ Ἱεροβοάμ, ὡς λέγοντα κατ' αὐτοῦ, καὶ κατὰ τῆς Σαμαρείας, καὶ κατὰ τοῦ λαοῦ. αὐτὸς οὐδὲν ἧττον οὐκ ἐπαύσατο παῤῥησιαζόμενος, καὶ λέγων τὰ λόγια καὶ περὶ τῆς παρουσίας τοῦ Σωτῆρος, ſic expoſuit: *Prophetavit etiam contra Amaſiam ſacerdotem Bethel, à quo regi Jeroboam deferebatur, quaſi contra ipſum & contra Samariam, & contra populum propheta-ret, propterea namque non ceſſabat prophetando, ſed confidenter oracula Dei denuntiabat: prophetavit etiam de ſervatoris adventu.* Nam contra Amaſiam ſacerdotem Be-

thel Amos nominatìm nunquam prophetavit; ſed cùm Amaſias coram rege Jeroboam calumniaretur Amoſum, quaſi contra Jeroboam, Samariam & populum loqueretur, nihilominùs non deſtitit liberè loqui, & prophetare de adventu ſalvatoris. *Sed Amaſia ſacerdote Bethel eum calumniante coram rege Ieroboam, quaſi loqueretur contra ipſum, & contra Samariam, & contra populum, ipſe nihilominùs non deſtitit liberè loqui & dicere oracula de adventu ſalvatoris.*

THEODORUS.

Equidem fateor fidum interpretem debuiſſe latina græcis reddere accuratiùs; non poſſum tamen ejuſmodi negligentiam in ſtudium & amorem partium proteſtantium rejicere: non enim

Digitized by Google

deſunt ſcriptores catholici qui in errores, iis quidem deteriores & ſpiſſiores lapſi ſunt.

ARISTARCHUS.

Nec etiam dubito; ſed inventum habent difficilem, qui deditâ operâ patres corruperint, eiſque ſententias, à quibus abhorreant, adſcripſerint, ſicut fecere proteſtantes, Dallæus, Blondellus, Albertinus, Larrocanus, & alii, de quibus ſermonem habuimus, ut patrum exiſtimationem violent, eiſque fidem abrogent. Jam verò fidem meam liberare juvat, & ſtare promiſſis meis; nec enim ab omni ſpecie erroris immunem tuendum recipiam Gerardum Voſſium decanum Tungrenſem, dum in verſione vitæ ſancti Ephrem à ſancto Gregorio Nyſſeno græcè ſcriptæ, hæc

Digitized by Google

verba Εφραίμ ὁ νοητὸς ὄντως τῆς ἐκκλησίας Εὐφράτης, ſic interpretatur: *Ephrem notus ille reverà Eccleſiæ Euphrates*. Quis enim neſcit hanc vocem νοητὸς non ſignificare *notum*, ſed *ſpiritalem*? Sic vetus interpres ſancti Athanaſii, in verſione epiſtolæ *ad vitam ſolitariam agentes*, pag. 656, hæc græca; τὰ βῆλα τῆς ἐκκλησίας ἐνέκαυσαν, malè vertit *tabulas eccleſiæ combuſſerunt*; nam τὰ βῆλα, non *tabulas*, ſed *vela* ſignificat. Doctiſſimus Carthuſiæ Pariſienſis aſceta Godefridus Tilmannus adeò illuſtris monachus & ſcriptor eccleſiaſticus, ut ei ſuum inſcribere opuſculum de ſacro cælibatu duxerit perhonorificum illuſtriſſimus epiſcopus Abrincenſis, doctor ſocietatis Sorbonicæ Robertus Cœnalis anno M. D. LV, ſimili ab errore immunis non fuit explicans enar-

Digitized by Google

rationem in prophetam Iſaïam adſcriptam ſancto Baſilio, pag. 821: Ὅρα γάρ μοι νέον τινὰ ἐκ παιδὸς τεθρεμμένον ἐν βίῳ σεμνῷ. *Vide enim mihi tu juvenem quempiam à puero in ſplendidâ byſſo educatum.* Quis enim neſcit βίον σεμνὸν nunquam ſignificare *byſſum ſplendidam*, ſed *vitam honeſtam*, adeóque vertendum *in honeſtâ vitâ educatum.*

Theodorus.

At verò placetne tibi obfirmato pectore defendere omnes interpretes quos vocas catholicos, ab omni errore contra fidem, aut in patrocinium ſuæ religionis, commiſſo, liberos? Magnum & arduum tuendum recipis, ſi hoc conſilium inieris.

Aristarchus.

Minimè; ſed defendo totis vi-

Digitized by Google

ribus, nullum ex his interpretibus convinci poſſe crimine falſi in ſuis verſionibus, aut errati in patrocinium religionis catholicæ commiſſi.

THEODORUS.

Jam ergo quam poteris excuſationem adferre interpretationis Franciſci Zini, libri ſancti Gregorii Nyſſeni, *de perfectione chriſtiani hominis*, pag. 715, tom. 2, lit. C. in qua hæc græca leguntur; διὰ τῆς τῶν μελῶν νεκρώσεως τὴν ψυχὴν ἀφαγνίζοντα ſic latinè reddita: *Et membra mortificantes, animos reddamus immortales.* Quis enim niſi à fide chriſtianâ devius, ſibi perſuadeat animas noſtras effieri, non naturâ ſuâ, ſed cupiditatum moderatione, aut carnis vexatione, immortales?

Digitized by Google

ARISTARCHUS.

Falleris vehementer, Theodore; mens enim interpretis Gregorii Nyſſeni non eſt animas fieri cupiditatum moderatione immortales, ſed à morte peccati & damnationis æternæ liberas, beatæque immortalitatis participes. Libenter tamen fateor accuratiùs & magis rotundè debuiſſe Franciſcum Zinum hunc locum interpretari. Nam verbum ἀφαγνίζω non ſignificat *immortalem reddo*, ſed *purgo*, aut *expurgo*, adeóque dicendum erat, *per membrorum mortificationem animam expurget*, ut ſatis patet ex ſancto Clemente Alexandrino, lib. 2° *ſtromatων*, pag. 309. πᾶν οὖν εἴ τι ῥυπαρὸν καὶ μεμολυσμένον ἐπιτήδευμα, ἀφαγνιστέον τοῦ γάμου: *Si quid ergo ſordidum & ſpurcum ſtudium, id à matrimonio expurgandum eſt.*

THEODORUS.

Joannes Grodecius decanus Golgovienſis, cardinalis Hoſii contubernalis in concilio Tridentino, hæc verba catecheſ. v. myſtagogicæ S. Cyrilli Hieroſolymitani, pag. 241, in fine: οὐκ ἂν αὐτοῖς ἄνεσιν δῴη τῶν κολάσεων: *Nonne condemnationem aliquam ſuppliciorum ipſis dederit*, ſic interpretatus eſt, ut probaret poſt mortem preces iis conducibiles eſſe, quos Deus pœnis purgatoriis mancipat.

ARISTARCHUS.

Hoc neutiquàm conſilium fuit Grodecii: nam licet ἄνεσις non ſignificet *condemnationem*, ſed *condonationem* aut *relaxationem* ſupplicii, à verbo ἀνίημι, quod ſignificat *remitto*, ex eo loci ſemper argumentum aſſumitur, ex quo conſtabit, ſancti Cyrilli ætate fide perſuaſum fuiſſe precibus

fidelium quandam ſupplicii relaxationem procurari.

THEODORUS.

Utcumque res ſit, vehementem in ſuſpicionem venit iſte Grodecius commiſſi eo conſilio tuendæ religionis errati. Quippè cùm catecheſi XVII libenter prætermittat in verſione quod in textu Græco dogmatis Romanæ religionis incommodare videtur; uti intelligimus ex his verbis, καὶ νῦν ὁμολογοῦμεν, οὐκ ἀνθρωπίνοις, καὶ σήμερον κεχρημένοι σοφίσμασιν· ἀσύμφορον γὰρ, *Ingenuè nunc quoque fatemur nos non humanis rationibus uſuros.* Nam hæc verba ἀσύμφορον γὰρ, *inutile eſt enim*, non alio conſilio omiſſa ſunt, quàm quia Eccleſiæ Romanæ theologi non exiſtimant inutile humanis rationibus & ſcholaſticis ſua dogmata

ſtillare ac ac defendere : ex quibus è contrà magnam utilitatem percipere ſibi perſuadent.

ARISTARCHUS.

Hanc omiſſionem vehementer exprobrat Grodecio Andreas Rivetus, ſuperſtitionis Calvinianæ miniſter apud Pictavienſes, in ſuo *critico ſacro de Cyrilli Hieroſolymitani operibus*. Sed quàm ſupervacaneum ſit, judicet prudens lector ἀσύμφορον enim non ſignificat *inutile*, ſed *incommodum*, quod maximè convenit homini catecheſes facienti, in quibus nihil magis incommodum quàm uti rationibus humanis erga neophytos & rudes tyrones religionis dogmatis, ſine ratiocinationum ambagibus, imbuendos. Inſuper σοφίσμασιν non ſignificat *rationibus humanis*, ſed *inventis callidis*

Digitized by Google

& aſtutis; quibus alludit Cyrillus ad philoſophos gentilium, qui fallaciis & rationibus ſophiſticis argumenta fidei chriſtianæ ſuggillabant, eludebant. Ex his abundanter patet, quàm criticus ἀσύμφορος fuerit iſte Rivetus, qui cùm has catecheſes ſancti Cyrilli ſibi incommodare vehementer perſpexerit, eas contra fidem omnium antiquorum codicum manuſcriptorum interpolatas eſſe ſibi finxit. Verumtamen abſit ut ab omni hallucinationis ſpecie Grodecium vindicare velim; reverà enim accuratiùs poterat interpretari catecheſim 16 paginâ 180, in qua hæc leguntur: καὶ αὐτὸς ὁ ὑετὸς κατέρχεται ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, καὶ γίνεται λευκὸς μὲν ἐν κρίνῳ, ἐρυθρὸς δὲ ἐν ῥόδῳ· *Et una pluvia in univerſum deſcendit mundum, quæ alba quidem fit in ſpinis,*

rubra autem in roſis : nam ἐν κρίνῳ ſignificat *in lilio*, non *in ſpinis*. Patet ex verſu Idyllii XXIII Theocriti, ſub hoc titulo, ἐραστὴς δύσερως, *amator infelix*, verſu XXX : λευκὸν τὸ κρίνον ἐστὶ, μαραίνεται ἁνίκα πίπτῃ. *Candidum eſt lilium, tabeſcit verò cùm decidit.* Voce ex hoc vocabulo κρίνω compoſitâ uſus eſt ſanctus Chryſoſtomus, ſermone *de Ioſepho*, pag. 135. tomi VI, in quo dicit ſancti patriarchæ ad inſtar lilii floridam frontem fuiſſe : λευκοὺς ἔχων ὀδόντας ὡς γάλα, πυρίζων τοῖς χείλεσιν, ὀφρύας ἔχων ἡπλωμένας ὑπὸ κρινοχρόῳ μετώπῳ δασύτητι τῶν τριχῶν ἀλλήλαις συνεζευγμένας. *Habens dentes candidos ut lac, labia colore igneo rubentia, ſupercilia ſub fronte floridâ inſtar lilii, pilis inter ſe connexis.* Neſcio cur P. Frontoduceus vertit κρινοχρόῳ *lactea.* Quis tamen neget aliquos ſcriptores

catholicos adeò ſuæ religionis æſtu ferveſcere, ut eis nonnihil in gratiam præconceptæ opinionis exciderit? Præjudicium in cauſâ religionis mentes ſensìm ſine ſenſu antevertere & occupare ſolet.

THEODORUS.

Me tua delectat ſinceritas, Ariſtarche, quæ tibi magnum dubio-procul ad inveniendam veritatem præbet præſidium. Hoc ſensìm ſine ſenſu præjudicium occupaverat mentem patris Franciſci Combeſis, cùm ad interpretationem excerptorum Lucæ junioris, qui decimo vixit ſæculo à Chriſto nato, animum appulit: Hæc *excerpta* publici juris fecit in ſuo *auctuario bibliothecæ Græcorum patrum*, pag. 986, lit. D, inter quæ refertur reſponſio facta

ab epiſcopo Corinthi juniori ſolitario, conſilium petenti de ritu ſervando in eremo ab aſcetis in receptione euchariſtiæ. Hæc ſunt concepta verba epiſcopi: καὶ τρὶς τὸ γόνυ κλίνας· τὰς μὲν χεῖρας συστελεῖς· μεθέξεις δὲ στόματι, τοῦ τιμίου σώματος χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν, λέγων τὸ ἀμήν. ἀντὶ δὲ νάματος ποτήριον οἴνου πίῃ, quæ ſic pater Combefis interpretatus eſt: *Trinâque genuflexione adorans manûs quidem contrahes, ore autem ſacrum ac pretioſum Chriſti ac Dei noſtri corpus ſumes, dicendo*, amen. *Loco autem ſacri laticis vini poculum bibes:* In quibus obſervare juvat hanc vocem *adorans* in autographo non reperiri, neque hoc vocabulum *ſacri*, quod occaſionem dedit interpreti hanc obſervationem ſcribendi, pag. 1014; ad hanc vocem, τὸ νάμα, *Sacer latex, cujus loco vini hauſtum adhibendum*

Digitized by Google

bendum decernit, eſt dominicus ſanguis, cujus loco, ceû quadam piâ fictione, & ad quandam epuli integri, quale dominus inſtituit, repræſentationem, vini ille hauſtus ſuccedit. Sic ipſi adhibemus ſextâ feriâ in Paraſceve, quâ unâ ſolemni ritu utimur præſanctificatis, infuſo de more vino calici hauſtoque, ſicque ad noſtra ferè tempora aſſumpto dominico corpore, propinatum eſt vini aliquid ceû in memoriam dominici ſanguinis, ac ſubſtracti laïcis inolitâ conſuetune myſtici calicis, nec ſolùm ad oris velut ablutionem, quomodo etiamnum nonnullos vini ſorbitiunculam à ſacrâ communione accipere video.

ARISTARCHUS.

Hallucinatus eſt pater Combefis; ſed quid tum? Nam reverà non vertendum erat ἀντὶ δὲ νάμα-

τος, *loco ſacri laticis*, ſed *pro liquore*, hoc eſt, *ad ſecundam ſpeciem ſumendam ſanguinis*: Nam tempore hujus Lucæ junioris nondum inolita erat conſuetudo ſumendæ euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, ut patet ex libris ſancti Paſchaſii Ratberti & Ratramni ceû Bertrami, *de corpore & ſanguine domini*, qui nono ſæculo jam adulto vixerunt. Non legitur etiam in autographo Græco προσκύνων, *adorans*, quod quidem contra ſenſum auctoris non eſt adſcititium. Doctor Sorbonicus in ſuâ lucubratione *de adoratione euchariſtiæ*, typis expreſſâ Pariſiis, anno M. DC. LXXXV. non deſtitit ex hoc loco aſſumere argumentum fortiſſimum peractæ eâ ætate adorationis ſanctiſſimæ euchariſtiæ, quamvis hoc vocabulum *adorans* non addiderit, & verſione patris

Digitized by Google

Combeſis neutiquàm uſus ſit.

THEODORUS.

Examinabunt proteſtantes quibus impoſita eſt neceſſitas refutandi libri doctoris Sorbonici, an ipſe ſit ab omni hallucinatione liber ? Intereà verò nihil mihi magis tritum ac vulgare videtur erroribus ex præconceptis opinionibus in gratiam receptæ religionis admiſſis.

ARISTARCHUS.

Sunt mixta quædam in religione argumenta quæ maximè mentes hominum concitant, quæ quidem non ſunt præcipua , nec ad fidem pertinent , ſed in quibus facile eſt in rem & gratiam fortunæ implicare conſcientiam. Quamobrem maximè cavere de-

Digitized by Google

bent theologi, & quicumque ab ejuſmodi erroribus immunes evadere concupiſcunt, ne ſpes eorum favoribus aulæ deludantur. His enim vinculis libenter aſtringimur, & illicò lumine artificioſo, naturale lumen obtunditur & hebeſcit in proſpectu veritatis.

THEODORUS.

Hoc quàm verum ſit, expertus ſum nuper lectione jucundiſſimâ hiſtoriæ concilii Tridentini cardinalis Palavicini, de quâ ſermonem habuimus. Lib. VI, cap. IV, pag. 541, tomi primi, probare vult penès ſolitarium pontificem Romanum conſiſtere jus convocandi concilia generalia, eáque de cauſâ prodidit epiſtolam epiſcoporum in concilio primo Conſtantinopolitano congre-

Digitized by Google

gatorum ad Damaſum papam, exſcriptam ex libro quinto *hiſtoriæ eccleſiaſticæ* Theodoreti, cap. ix; in qua declarant illi epiſcopi ſe Conſtantinopoli congregatos eſſe, obtentâ licentiâ per literas ad reverentiam ſummi pontificis ab imperatore Theodoſio ſcriptas. Hæc verò cardinalis aſſumit ad concludendum, olim imperatores ad ſummos pontifices ſcripſiſſe literas ad obtinendam conciliorum convocationem. *Convenerамus*, inquiunt, *Conſtantinopoli, ad literas veſtræ reverentiæ miſſas à Theodoſio imperatore poſt concilium Aquileïenſe.* Cùm è contrà luce meridianâ clarius conſtet ex autographo Græco hujus epiſtolæ, papam Damaſum eâ de cauſâ ſcripſiſſe ad imperatorem: συνδεδραμηκότων γὰρ εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν ἐκ τῆς περυσίας γραμμάτων τῶν

παρὰ τῆς ὑμετέρας τιμιότητος, μετὰ τὴν ἐν Ἀχυληΐᾳ σύνοδον πρὸς τὸν θεοφιλέστατον βασιλέα Θεοδόσιον ἐπισταλθέντων. *Conveneramus enim Conſtantinopolim juxta literas reverentiæ veſtræ poſt Aquileïenſe concilium ad piiſſimum imperatorem Theodoſium miſſas.*

ARISTARCHUS.

His ſphalmatis & nævis libros ſuos explere ſolent, quicumque principum fide ac favore vivunt ſcriptores eccleſiaſtici. Exemplum nobis ſuppeditat ſingulare Marſilius Columna archiepiſcopus Salernitanus, ſub pontificatu Gregorii XIII, poſteà inter patres purpuratos cooptatus, quos cardinales vocant. Is librum ſcripſit *de eccleſiaſticorum redituum origine & jure*, typis editum Venetiis anno M. D. LXXV. in quo

tertiâ parte, pag. 145, ait, papam ſanctum Leonem primum confirmaſſe ſextum concilium œcumenicum. *Quod idem*, inquit, *Leo primus ſextæ ſynodi confirmator*; cùm tamen Leo primus obierit anno Chriſti CCCC. LX, & ſextum concilium celebratum ſit ſub Agathone anno Chriſti DC. LXXX, ducentis poſt obitum ſancti Leonis nnis. Huic verò parachroniſmo hanc coronidem continenti ſermone imponit, eadem paginâ 145. *Siquidem in ea, ſynodus ſcilicet ſexta in Trullo ſub Romano pontifice convocata fuit anno Chriſti* DC, LXXVII, *ac deinde ſub Agathone circa annum* DC. LXXIX *continuata, atque ſub Leone primo, anno* DC. LXXXII *finita.*

In quo, *Spectatum admiſſi*
Riſum teneatis amici? *Horat. de art. poët.*

THEODORUS.

Sed his adhuc deteriora ſunt in hoc libro: Legiſti epiſtolam nuncupatoriam ad Gregorium XIII, cujus divinitatem per modum propitiantis implorat: *Quam editionem*, inquit, *magnanime Gregori, ſi haud omninò rejiciendam eſſe duxeris, eam ipſam divinitatis tuæ aurâ & afflatu impertiri, atque illi ſanctiſſimâ benedictione tuâ decoris aliquid largiri, & digneris humillimè oro atque obſecro.*

ARISTARCHUS.

His ſermonibus adulatoriis aulæ principum undique ſcatent, tùm catholicorum, cùm proteſtantium; ſcimus omnes reges ac pontifices homines eſſe mortales: verumtamen, quemadmodum

Digitized by Google

Marſilius Columna papam Gregorium XIII Deum appellavit, Buchananus papiſſam Anglicanam Eliſabetham Deam nuncupavit.

THEODORUS.

Incogitabile eſt Buchananum regiæ majeſtati hominem infenſum, auctorem nefandi libelli *de jure regum apud Scotos*, in ejuſmodi adulationis crimen eſſe prolapſum. Id quidem ſolis curiæ Romanæ poëtis convenit, ex quibus unus tempore Alexandri VI, hoc diſtichum compoſuit:

Cæſare magna fuit: nunc Roma eſt maxima. Sextus
Regnat Alexander; ille vir, iſte Deus.

ARISTARCHUS.

Hoc diſtichum Eccleſiæ Roma-

næ, quaſi ab ipſâ plenis comitiis compoſitum exprobravit Joannes Claudius templi Charentonii in Galliâ miniſter, in ſuâ reſponſione ad *præjudicia*, relictis in oblivione Buchanani epigrammatis, quæ jam inter poëmata ejus videre potes, editionis Commelini, pag. 171, de Eliſabethâ Angliæ Reginâ.

Cujus imago deæ, facie mihi lucet in unâ,
Temperie mixtâ, Juno, Minerva, Venus?
Eſt dea quid dubitem, cui ſic conſpirat amicè
Maſcula vis, hilaris gratia, celſus honos:
Aut dea ſi non eſt, diva eſt quæ præſidet Anglis,
Ingenuo cultu, moribus æqua deis.

Eſt & aliud non minùs inſolens

& prodigialiter adulatorium.

Quæ manus artificis tria ſic confundit in uno?
Gratia, majeſtas & decor ore micant.
Non pictoris opus fuit hoc, ſed pectoris, unde
Divinæ in tabulam mentis imago fluit.

THEODORUS.

Non paucis ab hinc annis *pictoribus atque poëtis, quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.*

ARISTARCHUS.

Non ſoli poëtæ hac aſſentationis voluptate principum levitatem titillant. Robertus Chreygton decanus ſanctæ Burianæ in Angliâ, ſacræ theologiæ doctor, qui verſionem hiſtoriæ concilii

Digitized by Google

Florentini magnæ Britanniæ regi Carolo II, dedicavit, nec poëta, nec pictor erat, regem *tamen æternum adorandum* appellat in epiſtolâ dedicatoriâ, hoc eſt, deum facit; ſiquidem chriſtiani Θεὸν μόνον προσκυνοῦμεν, *Deum ſolum adoramus*, inquit ſanctus Juſtinus martyr.

THEODORUS.

Vereor, Ariſtarche, ne patientiam tuam offendam, quamvis multâ & jucundâ conſuetudine inter nos conjuncti ſimus, quæ colloquii noſtri tempus arctat & breve reddit. Saltem fateor tibi libenter, fore ut deinceps in perſuaſione maneam neceſſitatis linguæ Græcæ, ad intelligentiam librorum græcè conſcriptorum, adeóque ſentiam non eſſe temerè verſionibus interpretum confidendum.

Digitized by Google

ARISTARCHUS.

Benè eſt, Theodore; brevi unà iterùm agemus, & videbimus miſeros interim doctores illos, qui cùm græcè neſciant, ex cerebro, velut ex pumice aquam, etymologias trahunt. Exemplum habemus in Guillielmo Durando epiſcopo Mimatenſi, qui vixit anno Chriſti M. CC. LXXX, & ſuccum ex cerebro ſuo ſtillat *rationalis divinorum officiorum* lib. I, cap. V, num. I, ut probet cæmeterium originem ducere à *cimen*, quod eſt dulce, & *ſterium*, quod eſt ſtatio, quoniam ibi dulciter defunctorum oſſa quieſcunt, & ſalvatoris adventum expectant. Quis enim Helleniſmo tantulùm imbutus neſciat, cœmeterium originem ducere à verbo κοιμάω, quod ſignificat *ſo-*

Digitized by Google

pio, & κεῖμαι, *jaceo*. Dionyſius Carthuſianus explicans capitis decimi-noni ſancti Joannis verſum decimum tertium : *Et ſedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithoſtrotos*, quod ſignificat *locum ex lapidibus ſtratum*, à λίθος *lapis*, & στρόω *ſterno* ; defendit legendum eſſe *lycoſtratos*, cum Hugone cardinali, qui docet hanc vocem ſignificare *judicium* & *judiciale.* Sanctus Anſelmus in primam ad Timotheum, capite primo, ait, hoc nomen ſignificare *beneficium*, cùm ſignificet *honorans Deum.* Infinita ejuſmodi occurrunt σφάλματα in gloſſâ juris canonici, & apud veteres ſcholaſticos & juriſconſultos : ſed de his ultrâ quàm ſatis eſt.

Digitized by Google

THEODORUS.

Ejuſmodi errores hominum qui in oculos affatìm incurrunt, detegere ſupervacaneum mihi videtur. Sed non paucis ab hinc diebus ſcire aveo vehementer, quid ſentias de illis in re literariâ non humillimi ingenii viris, qui per ὑπομνημονεύματα ſibi ſuppeditata, ſtudiis alienis exornati, dicendi ac malè ſcribendi congenitâ quadam facilitate ſuffulti, aliquod nomen famamque inter homines literatos conſecuti ſunt, quamvis ad ſtudendum literis Græcis & Latinis nullum temporis intervallum, muneribus reipublicæ, officiis, aut divitiis diſtracti, invenire potuerint?

ARISTARCHUS.

Hoc argumentum unà tecum

Digitized by Google

pertractare jucundiſſimum erit ; & primâ vice videre ejuſmodi hominum dilapſas in literatos quoſdam inanes & malefidos divitias : Ex his perſpiciemus faciliter viri docti ac literati hominis famam ſine ſtudio ac labore infinito comparari juremerito non poſſe. Vale igitur, Theodore cariſſime. Ecce quæ vides in hujus armarii fundo longâ & continenti ſerie in ordinem diſtributa volumina, ab ejuſmodi reipublicæ literariæ coccigibus confecta ſunt, quos nido alieno extrudere, & pipulo differre gratum erit & perhonorificum. Iterùm vale.

FINIS.

Mihi quiſquam non videtur errare, cùm aliquid neſcire ſe ſcit, ſed cùm putat ſcire quod neſcit. S. Auguſt. epiſt. 80. ſive 199. Heſychio coepiſcopo.

Digitized by Google

INDEX AVTORVM

qui in Diſquiſitionibus theologicis, Conſultatione, & Colloquio critico de ſphalmatis virorum in re literaria illuſtrium, citantur, probantur, vel refelluntur.

A

ANATOLIUS Diacon.
S. Auguſtin. epiſc. Hipp.
Concil. Aquiſgranenſe.
Concil. Alverniæ.
Anacletus papa.
Achillas.
Alexander III. papa.
Arnobius Afer.
Guillel. de ſancto-Amore.
Eccleſia Antiochena.
S. Athanaſius.
Concil. Aquenſe.
Claudius Aquaviva generalis Jeſuitarum.
Athenagoras phil. chriſt.
S. Antoninus Florentinus archiepiſcopus.
Petrus Abaylardus.
Joannes Aſor Jeſ.
Ariſtoteles.
Arrianus.
Alexander magnus.
Edmundus Albertiuus.
Autor diſquiſit. de ſang. Chriſti.
Petrus Alix.
Anaſtaſius bibliotechar.
Anaſtaſius cardinalis S. Marcelli.
Joſua Arndius.
Apion grammaticus.
Agellius.
Anton. Arnaldus doctor Sorbon.
Franciſcus Aretinus.
Ambroſius Florent. generalis Camaldulenſ.
Anianus interpres ſancti Chryſoſtomi.
S. Anſelmus Cantuarienſis archiepiſcopus.
Alexander VI. papa.
Agato papa.
Atticus Conſtantinopolitanus.

K

B

BALZAMON.
S. Benedictus.
S. Burchardus.
David Blondellus.
Briocus.
Bonifacius II. papa.
S. Baſilius magnus.
S. Bernardus Clarevall.
Steph. Baluzius.
Emeric. Bigotius.
Barboſa.
Jac. Billius abbas.
S. Baſilius Seleucienſis,
Bona cardinalis.
Nicol. Bellonus.
Baldus Juriſconſ.
S. Bruno Cartuſ.
Gabriel Biel.
Steph. Biſontinus.
Robertus Bellarminus.
Bevilaqua Sorbon.
Michaël Bayus.
Thom. Bartholinus.
Bernardus Brixianus.
Bevilaqua de Prateolis.
S Barlaam martyr.
Buchananus poëta.

C

CONCILIUM Calchedonenſe I.
S. Cyprianus.
Carolus magnus.
Clerus Romanus.
Carolus Calvus.
Colomanus rex Hungar.
Crodogangus Metenſis epiſcopus.
Chopinus Juriſconſ.
Calixtus papa.
Chriſtus ſalvator.
Concil. Cæſarauguſtan.
S. Clodoaldus.
S. Clemens Alexandrin.
Petrus de Corbolio.
Robertus Carnotenſis.
Concil. Carthaginenſe.
Chriſtianus Belvacenſis.
Catilina.
Du Cange.
Conſtantius imperator.
Courcier Theologal. Pariſienſis.
Cicero.
Clemens VIII. papa.
Chriſtina regina Suecor.
Caſſianus.
Cluniacenſes monachi.
Ludovicus Creſſolius, Societatis Jeſu.
Cyrillus Hieroſol.
Claudius imperator.
Celſus philoſoph.
S. Clemens papa.
Catullus poëta.
Cornelius papa.

Digitized by Google

S. Petrus Chryſologus.
Robertus Creygton.
Claudius miniſter.
Cæſarius monachus.
Cleopatra.
F. Combeſis.
Marſilius Columna.

D

Dom. Luc. Dacherius.
Duarenus.
Deuteromium.
Odo de Doato.
David propheta.
Ægidius Delfus prior Sorbonæ.
J. Dallæus miniſter.
Diodorus Siculus.
Dorotheus.
Damaſus papa.
Guillel. Durandus epiſc. Mimatenſis.
Dionyſius rex Luſitaniæ.

E

Euſebius Pariſienſis epiſcopus.
Euſebius Cæſarienſis.
Eugenius III. papa.
S. Epiphanius.
S. Edmundus.
Eloyſſa.
Epicurus.
Euphranor.
Evagrius ſcholaſticus.
Eliſeus propheta.
Eliſabetha Angliæ regina.

F

Ferrandus diaconus.
Faramodus epiſcopus Pariſienſis.
Fridericus II. Imperator.
Facultas theologica Pariſ.
Flodoardus Remenſis.
Guill. Filiaſtry cardinalis.
Fulbertus canon. Pariſ.
Fabius Antiochenus,
Ferrerius.
Fretela.
Le Febvre profeſſor theol. Navarricus.
Frontoduceus.
Tanaguill. Faber.

G

Gratianus
S. Gregorius magn.
Gregorius IX. papa.
S. Gregorius Turonenſ.
S. Germanus Pariſ.
Lucas de Giffo.
Phill. Gamacheus.
Ant. Godeau epiſcopus Vencienſis.
Goffridus Vindocinenſis.
S. Gregorius Nazianzen.
S. Gregorius Nyſſenus.
Guigo Carthuſ.

Jacob. de Graſſis.
Hugo Grotius.
Gregorius IV. papa.
Gilbertus Genebrardus.
Gentianus Hervetus.
Gregorius XIII. papa.

H

HLudovicus imperator.
Honorius I. papa.
Claud. Hemereus doctor Sorbon.
Honorius III. papa,
Luc. Holſtenius.
S. Hieronymus.
Jac. Hennequinus profeſſor Sorbon.
Henricus IV. Gall. rex.
S. Hugo epiſcopus Gratianopol.
Heſychius.
Harpocràtion.
Horatius poëta.
Volphangus Hopil.
Deſiderius Heraldus.
Hermes Ægyptius.
Harduinus Soc. Jeſu.
Haſſelius.
Heſſelius.
Homerus.
Daniel Heinſius.
Henricus III. Angl. Rex.

I

JUstinianus imperator.
S. Ignatius martyr.
Concil. Illiberitanum.
Joanna papiſſa.
Innocentius III. papa.
Joannes rex Hieroſolymitanus.
Chryſtophor. Juſtellus.
S. Joannes Chryſoſtom.
Joſephus patriarcha.
Joſephus hiſtoricus.
S. Juſtinus martyr.
Julius Clarus.
Jovinianus.
Chryſoſtomus Javellus.
Iſidorus Peluſiota.
S. Irenæus.
Iſayas propheta.
Joannes epiſcopus Cheſtrienſis.
Cornelius Janſenius Yprenſis.
Vavaſſorius Soc. Jeſu.

L

LAodicenum concil.
S. Leo I. papa.
Laurentius Strigonienſis archiepiſcopus.
Petrus Lombardus epiſc. Pariſ.
Steph. de Langentona.

Digitized by Google

Ludovicus pius.
Concil. Lateranenſe IV.
Ludovic. XIII. rex Franc.
S. Lucas Evangeliſta.
Joannes Launoïus theol. Pariſ.
Lactantius Firmianus.
Larrocanus miniſter.
Joannes Laurentius.
Leo IV. papa.
Lanſacus.
Longinus.

M

MOGUNTIN concil.
Mauritius canonic. Pariſ.
Michaël decanus Pariſ.
Petrus de Marca.
Eccleſia Meldenſis.
S. Maria virgo.
Concil. Mechlinienſe.
Mabillonius.
S. Matthæus Evangeliſta.
Modeſtinus Piſtoris Juriſconſ.
Melchior Canus epiſc. Canarienſis.
Martinus de Magiſtris confeſſor Lud. XI. reg. Franc.
Alexander Morus miniſt.
Minucius Felix.
Simo Magus.
Mercurius Triſmegiſtus.
Morinus Oratorii.
Aubertus Myreus.
Maucroix canonic. Remenſis.
Marſilius.
Martialis.

N

NICENUM concil.
Regia Navarrà.
Nicolaus IV. papa.

O

OPTATUS lector.
Origenes.
Odo de Caſtro-Radulphi.
Optatus Milevitanus.
Abraham Ortelius.
Ovidius Naſo.

P

PETILIANUS.
Poſſidius.
Concil. Placentinum.
Santes Pagninus.
S. Paulus Apoſtolus.
Philippus de Greva.
Papirius Maſſonus.
Univerſitas Patavina.
Univerſ. Pariſienſis.
Photius.
Matthæus Pariſ.
Plautus.
Peliayus.

Synodus Pariſienſis.
Palladius.
Parlamentum Pariſ.
Paulus V. papa.
Putiphar.
Petrus Aurelius.
Paphnucius abbas.
Petrus de Honeſtis.
Plutarchus.
Dionyſius Petavius Soc. Jeſu.
Phavorinus.
Pindarus.
Publicola.
Phædrus.
Propertius.
Perronius cardinalis.
Paſchaſius Ratbertus.
Perpetuus Turonenſis archiepiſc.
Palavicinus cardinalis.
Pibracus.
Philippus Nerinotenſis.
Plinius.
Philo Judæus.
Palladius Helenopolit.
Polybius.
Philoſtorgius.
Plazzonius.
Pelagius Diaconus.

R

RAGNEMODUS epiſc. Pariſ.
Regino abbas Prumienſis.
Robertus de Arbricellis.
Ruſchelinus.
Robertus de Natalibus.
Odoricus Rainaldus.
Ratramnus monachus.
Robertus comes frater S. Ludovici.
Rapinus Soc. Jeſu.
Ruſbrochius.
Dionyſius Rikel Cartuſ.

S

SIRMONDUS Jacobus Soc. Jeſu.
Sigebertus.
Robertus de Sorbona.
Sorbona Pariſ.
Concilium Sueſſionenſe.
Criſpus Saluſtius.
Socrates ſcholaſticus.
Jacobus Sambœuvius doctor Sorbonicus.
Thom. Sanchez Soc. Jeſ.
Serenus.
Franciſcus Sylvius profeſſor Duacenſis.
Concil. Sardicenſe.
Claudius Salmaſius.
Sozomenus hiſtoricus.
Simon Magus.
Robertus Stephanus.
Seldenus.
Joſeph Scaliger.

Digitized by Google

Adamus Saſbout.
Sunia.
Richard. Simon.
Suidas.
Socrates hiſtoricus.
Franciſcus Saleſius.
Thomas Stapletonus.

T

TRIDENTINUM concilium.
Timotheus.
Tertullianus.
Concilium Toletanum.
Joannes Tilius.
Univerſitas Ticinenſis.
Tritemius.
S. Thomas Aquinas.
Terentius.
Theodorus episc. Tianenſis.
Tzetzes.
Theodotus preſbyter.
Franciſcus Turrianus Soc. Jeſu.
Theodoretus hiſtoricus.
Titus Livius.
Theophilus Alexandrin.
Theodorus Studienſis.
S. Thereſia.
Taulerus Dominic.
Theodoſius imperator.
Conci. VIII. in Trullo.

V

VOLCUINUS abbas.
Urbanus II. papa.
Andreas du Vallius.
Wilelmus archiepiſcopus Senonenſis.
Præpoſitus de Valeriis.
Virgilius Maro.
Umbertus generalis Dominicanorum.
Fulvius Urſinus.
Urbanus VIII. papa.
Henricus Valeſius.
Varro.
Gerardus - Joannes Voſſius.
Vitruvius.

X

XENOPHON philoſophus.

Y

YSAMBERTUS Nicolaus profeſſor Sorbon.
Yvo Carnotenſis.

Z

ZONARAS.
Zoſimus papa.
Zenus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google